



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1 V. fuerit necessarium Christum resurgere

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Infin.
Iren.
Euthym.

quæst. 76. ad Orthodoxos, & indicant Irenæus, & alij antequi, qui existimant, animas hominum expectare in paradyso terrestri, vsque ad corporum resurrectionem, vt suam beatitudinem recipiant: præsertim ita exponit Euthym. in fauorem illius sententia, Luc. 23.

Responsio.
Christi anima per triduum in inferno fuit.
Matth. 12.

Nihilominus veritas est: Christi animam in inferno fuisse toto illo triduo, donec ascendit, vt corpori vniretur hora resurrectionis. Veritatem hanc non minus certam existimo, quam quod Christus in infernum descenderit. Nam loca scripturæ supra citata, vtrumque eodem fere modo conuincunt, præsertim ille Matth. 12. *Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quod dictum esse ratione animæ descendens ad inferos, supra ex ipsis verbis, & ex sanctis Patribus ostendimus: & tamen ibi non solum dicit Christus se descensurum in cor terræ:

Psalm. 15.
Act. 2.

sed etiam ibi per triduum futurum. Idem probant verba Psalm. 15. prout exponuntur à Petro Act. 2. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Nam prodicens (inquit Petrus) loquutus est de resurrectione Christi.* Igitur non est ibi derelictus, quia exiuit inde, vt resurgeret, ibi ergo vsque ad resurrectionem mansit.

Rom. 10.

Vnde eodem loco ait Petrus. *Quem Deus suscitauit, solutus doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, teneri eum.* Tunc ergo solutus est à loco inferni, quâdo suscitatus est. Ac tandem Paulus ad Roman. 10. *Quis (inquit) descendit in abyssum? id est Christum à mortuis reuocare.* Ac si aperte diceret, tunc Christum ex abyso reductum, quando à mortuis reuocatus est. Constat ergo ex scriptura, Christum mansisse in inferno vsque ad horam resurrectionis, quam ita etiam intellexerunt omnes Patres supra citati. Inter quos manifeste August. epist. 57. dicit animam ex inferno remeasse in die resurrectionis. Vnde ex dictis verbis Christi, *Hodie mecum eris in Paradyso*, colligit in inferno fuisse paradysum. Item Iren. lib. 5. contra Hæres. c. 31. & Tertul. lib. de anima c. 55. ac Petrus Chrysolog. serm. 64. explicans verba illa, *& ecce terram motus factus est magnus.* (quæ de die resurrectionis dicta fuerunt) inquit. *Tremuit terra, non quia angelus descendit de celo, sed quia ab inferno Dominator ascendit.* Denique omnes Scholastici in 3. d. 12. in hac veritate consentiunt Rationes vero, seu congruentiæ ad hoc confirmandum: ex priori parte huius sectionis sufficienter peti possunt.

August.
Luc. 21.
Irena.

Tertul.
Chrysost.
Matth. 18.

Orig.

Ad coniecturam Nicephori respondetur, Christi animam non fuisse detentam in inferno in penam: sed solum, vt expectaret corporis sui resurrectionem, quam oportebat aliquo tempore differri, vt eius veritas euidentius probaretur. Et eadem ratione detentæ sunt etiam aliorum animæ, non iam in penam: sed vt Dominum suum comitarentur: & quia non decebat ante ipsum aliquem exire. Ad illud vero testimonium, *Hodie mecum eris in Paradyso*, Origenes tom. 2. in Ioannem in fine dupliciter respondet. Primo, illud *hodie*, non sumi proprie pro presenti die, sed pro præsentis tempore, vel seculo. Sed hoc est contra proprietatem verbi, & sensum Sactorum, & Ecclesiæ. Secundo, fortasse Christum prius iussit ad Paradysum, vt impleteret promissum, & deinde descendisse in infernum. Sed hoc est gratis confictum contra omnia in superioribus tractata.

Aliter interpretabantur alij, quos Theophyl. refert, scilicet Christum dixisse, *hodie*, non quia eodem die id futurum esset, sed ad indicandam certitudinem promissionis. Sed hæc expositio non solum proprietatem verborum destruit, sed etiam veritatem. Verba enim Christi non continent prophetiam de futuro, in quo solet interdum præsens pro futuro poni, sed simplicem promissionem, quæ si non fuit impleta, prout facta est, non fuit vera. Alij exponebant, coniungendo dictionem *hodie*, cum antecessibus verbis, hoc modo, *Amen dico tibi, hodie mecum eris, &c.* sed est elusio potius scripturæ, quam inter-

Fr. Suarez tom. 3.

pretatio. Sicenim sine fructu adiecisset Christus illam temporis determinationem, in qua posita est magna vis, & energia illorum verborum. Quia enim latro petierat, vt Christus recordaretur sui, quando veniret in regnum suum: ideo Christus eum docuit eodem die fuisse implendam petitionem eius. Dicendum ergo est, iuxta superius tractata. q. 46. art. 11. in commen. paradysum in illis verbis non sumi pro paradyso terrestri: sed pro gloria, ac beatitudine: iuxta illud Apocal. *Vincenti dabo edere de ligno vite, quod est in paradyso Dei mei.* Dices: Si licet metaphoricè interpretari paradysum, cum Christus dicit se futurum in paradyso, licebit etiam metaphoricè interpretari infernum, vel descensum, cum Christus dicitur descendisse in infernum. Respondetur, non esse eandem rationem. Primo, quia ex frequentiori vsu illius vocis *infernus*, tam in nouo quam veteri testamento, item ex multitudine testimoniorum, & ex eorum contextu, & circumstantijs, ac denique ex Ecclesiæ, ac Sactorum sensu, & interpretatione constat, descensum ad inferos proprie esse intelligendum: at vox *paradyso*, licet in primæua significatione locum amœnum, vel pomarium significet: tamen in scriptura, præsertim in nouo testamento translata est ad significandum locum beatitudinis: vt patet etiam 2. ad Cor. 12. Ac præterea ex circumstantijs eiusdem loci constat ita esse intelligendum. Quia latro non petebat esse in pomario: sed in regno Christi, & hoc illi promisit Christus sub nomine *paradyso*, simul significans latroni regnum suum non esse de hoc mundo, sed in cælesti beatitudine. Et ita etiam ibi interpretantur Ambrosius, Theophylactus, & alij expostores.

QVÆSTIO LIII.

De resurrectione Christi, in quatuor articulos diuisa.



Consequenter considerandum est de his, quæ pertinent ad exaltationem Christi. Et primo, de eius resurrectione. Secundo, de eius ascensione. Tertio, de eius sessione ad dexteram Patris. Quarto, de iudiciaria potestate ipsius.

Circa primum occurrit quadruplex consideratio. Quarum prima est de ipsa Christi resurrectione. Secunda, de qualitate resurgentiæ. Tertia, de manifestatione resurrectionis. Quarta, de eius causalitate. Circa primum queruntur quatuor.

Primo, de necessitate resurrectionis eius.

Secundo, de tempore.

Tertio, de ordine.

Quarto, de causâ.

DISPUTATIO XLIV.

In octo sectiones distributa.

De resurrectione secundum se.



Qst tractatum de Christi passione, & morte incipit D. Thomas consequenti ordine de Christi resurrectione differere. Quia vero resurrectionis ratio vniuersalis est (Christo enim, & aliis conuenire potest) necessarium visum est, nonnulla præmittere resurrectioni Christi, nostræque communia. Quoniam ex eorum cognitione pendet fere omnia, quæ de Christi resurrectione tractanda sunt. Dicemus ergo quid nomine resurrectionis intelligamus, & an possibilis sit, & qua virtute.

SECTIO I.

Quid sit resurrectio, quæne sint ad veram resurrectionem necessaria.

Qq 3

Inqui.

*Resurrectio
nisi descriptio.*

Inquirimus prius, quid sit, quam an sit resurrectio. Quia oportebat vocis significationem ante omnia explicare, quod non potest brevius, & clarius fieri, quam inuestigando simul rei quidditatem. Suppono igitur primo, resurrectionem esse mutationem substantialem, qua id, quod prius extiterat, & corruptum erat, idem iterum producit. Hoc constat ex communi usu huius vocis, præsertim in scriptura, & sanctis patribus, & Ecclesiasticis doctoribus, à quibus potissimum sumenda est huius vocis significatio, quia non tam Latina est, quam Ecclesiastica. Apud Latinos enim veteres non reperitur resurrectiois vox, præsertim in hac significatione. Neque mirum est, quod, cum rem non agnouerint, nec vocem indiderint. Vnde licet interdum vtantur verbo *resurgendi*, non tamen in ea proprietate, quam descripsimus, sed vt significat instaurationem, seu restitutionem rei ad priorem statum, quamuis non idem numero quod perierat, reparatur. Vt autem posita descriptio constet, singula pene verba expendenda sunt. Dicimus enim in primis resurrectionem esse mutationem, in quo à creatione, seu potius à recreatione distinguitur. Si enim Deus Angelum vel hominem semel productum in nihilum redigeret, rursusque illum postea produceret, esset illa recreatio, seu restitutio eiusdem rei, quæ antea fuerat, in quo cum resurrectione conueniret: non tamen foret resurrectio prout nunc loquimur, quia non esset mutatio, sed simplex effectio ex nihilo. Est ergo de ratione resurrectionis, vt sit propria mutatio, atque adeo, vt fiat ex præsupposita materia, seu subiecto: in hoc enim differt propria mutatio à simplici effectione, quæ mutationem non includit. Quod si quis contendat, illam quoque simplicem reproductionem ex nihilo, posse resurrectionem dici, de nomine tantum questionem agitat. Quia certum est, illam actionem conuenire in hoc cum resurrectione, quod sit reproductio rei, quæ antea erat: tamen etiam constat hanc reproductionem, cum sit ex subiecto adhuc permanente, esse diuersæ rationis, & esse proprie mutationem, & posse propria aliqua voce significari. In hac ergo significatione vtimur resurrectionis voce. Sic enim illa vtuntur scriptura, & Patres, vt videbimus. Et ratio adiungi potest, quia sicut res creatæ secundum legem ordinariam non annihilantur, ita neque reproductur ex nihilo. Vnde si aliquid quod prius fuerat, iterum producit, semper fit per mutationem aliquam ex præsupposito subiecto: resurrectio autem non significat quamcunque reproductionem absolute possibilem, sed secundum potentiam, aut legem ordinariam, est ergo resurrectio mutatio ex subiecto.

*Resurrectio
in rebus tā-
tum materi-
alibus pro-
prio reperi-
tur.*

Ex quo colligitur primo, resurrectionem tantum habere locum in rebus ex materia, formaque compositis. Quia tantum hæres possunt ex præsupposito subiecto produci, vel reproduci. Est tamen considerandum interdum hanc vocem attribui rei spirituali seu ratione partis spiritualis, quomodo dicitur homo resurgere spiritualiter, quando à statu peccati ad statum gratiæ restituitur: sed illa est metaphorica significatio, tum quia ibi reuera non reparatur eadem numero gratia, quæ desiderat esse. tum etiam quia idem homo simpliciter permansit, solū secundum quædam accidentia mutatus est. Dicitur ergo tunc resurgere homo ea Latina significatione supra posita, quæ resurgere dicitur, quod ad meliorem statum, quam prius habuerat, restituitur. Secundo obseruandum, posse intelligi, vt in eodem subiecto idem numero accidens, quod destructum fuerat, iterum producat per mutationem ex subiecto resurrectioni similē (quod mutationis genus etiam in spiritualibus rebus reperiri potest, vt constat: tamen sicut esse, & productio accidentis non sunt talia simpliciter, sed secundum quid, ita restau-

ratio eiusdem accidentis non est simpliciter reparatio, sed secundum quid, & ideo non significatur absolute nomine resurrectionis. Igitur resurrectio simpliciter dicta mutationem substantialem significat (vt dixi) ac propterea solum habet locum in substantijs ex materia, formaque compositis.

Ex quo vltèrius sequitur, non in quacunque re materiali, sed in corruptibilibus tantū resurrectionem habere locum. Primo quidem: quia productio ex præsupposito subiecto, proprie non habet locum nisi in re generabili, & corruptibili, ergo nec reproductio. Deinde quia oportet (vt dixi) vt hæc mutatio tendat ad producendam rem, quæ prius extiterat, corrupta fuerat. Quia nisi esset destructa, non esset capax reproductionis, & nisi destructa fuisset per corruptionem, non mansisset subiectum, ex quo iterū produci posset: Necessè ergo est, vt corruptio, seu mors resurrectione antecedit, sicut ergo corruptio non habet locum, nisi in re corruptibili, ita neque resurrectio. Dices. Posset Deus destruere cælum separando formam, & cōseruando materiam, ex qua posset iterum illud reproducere, ergo habet locum resurrectio in re incorruptibili. Respondetur illud esse præter naturas rerum, tamen in eo genere mutationis, sicut cælum est reparabile per actionem ex materia in ordine ad diuinā potentiam, ita in ordine ad eandem dici potest corruptibile, seu dissolubile, eius materia manente. Omisissis tamen his extraordinarijs miraculis, resurrectio de potentia ordinaria (vt loquimur) solum in substantijs corruptibilibus locum habet, vt satis probatum est.

Sed aduertendū est huiusmodi substantias multiplices esse: & in omnibus intelligi posse huiusmodi mutationis genus, quanquam non omnes etiam Catholici illud admittant, sine fundamento tamen, vt postea videbimus. Resurrectionis ergo nomen, generaliter sumptum ad omnes huiusmodi res accommodari potest, frequētius tamen dicitur de rebus animatis, sed maxime de homine, qui veluti per antonomasiam proprie resurgere dicitur, & hoc modo vtimur fere semper hac voce simpliciter dicta. Et ratio reddi potest. Quia (vt dixi) hæc vox vsurpata est ad significandam hanc mutationem, vt interdum à Deo solita est fieri. Solent autem fieri proprie hominum resurrectiones, non autem aliarum rerum, vt constat ex canonica, & ecclesiastica historia. Quod si interdum fortasse leguntur res aliæ, vel animalia mortua repente miraculose excitata, non est necesse credere tunc idem numero, quod exciderat, cum eadem forma excitari: cum neque ex effectibus, & signis colligi id possit, neque ad aliquem finem sit necessarium. In quo est magna differentia inter homines, & res alias corruptibiles. In homine enim forma separata à corpore manet, & est immortalis, & ideo multiplicatio animarū, & hominum non est omnino per accidens, sed per se ex intentione nature, vt notauit D. Thom. 1. p. quæst. 68. art. 1. Vnde quia resurrectio, vt sic, nō dedit ad multiplicationem, sed ad reparationem eius, quod ceciderat, quando homo suscitatur, necesse est, vt eadem anima, quæ manerat separata, iterum corpori vnatur, vt idem homo resurgat: At vero in alijs rebus, quando corrumpuntur, formæ omnino pereunt, ac desinunt esse, & ideo earum multiplicatio est tantum per accidens ad conseruationem spei. Atque eadem ratione, si aliquando post corruptionem subito excitari videntur, non est necesse, quod in eodem indiuiduo, sed in eadem specie resurgant, quia ad finem intentum nō magis refert vnum indiuiduū, quam aliud. Resurrectio ergo simpliciter dicta tantum in hominibus regulariter locum habet. Et hoc sensu semper de resurrectione loquimur.

Ex his satis exposta relinquitur vltima pars in descriptione posita, scilicet oportere, vt per resurrectionem idem homo fiat, qui antea desiderat esse. Nam si esset

*Resurrectio
in rebus solū
corruptibili-
bus locum
habet.
Obiectio.
Responsio.*

*Solus homo
antonomasti-
cè resurge-
re dicitur
quomodo.*

D. Thom.

si esset aliis, iam non esset resurrectio, sed multiplicatio hominum, nouaque generatio. Sed licet hoc certum sit: tamen in explicanda hac identitate, ex qua ratio resurrectionis pendet, nonnullæ occurrunt difficultates, quæ in sequentibus sectionibus commodius tractabuntur.

SECTIO II.

Utrum sit necessarium, ut id quod resurgit, eandem numero animam, & materiam habeat.

Quod ad priorem partem sectionis attinet, res est facilis. Nam de anima rationali nulla est controversia propter rationem factam in fine præcedentis sectionis: tamen supposita sententia asserente in homine plures esse animas, & formas substantiales, aliqui existimant non esse necessarium ad veram resurrectionem, ut eadem numero anima sentiens, vel vegetans redeat. Quod necessario sequitur ex eorum opinione, qui negant posse per diuinam potentiam reparari eandem numero formam materialem, dependentem à materia, postquam destructa est. Et licet sit possibile, tamen quod ad resurrectionem eiusdem hominis non sit necessarium, probari potest. Quia homo formaliter constituitur per animam rationalem ut sic, non vero per superiores formas. Nihilominus contrarium verius est, ut colligitur ex D. Thom. in 4. d. 44. quæst. 1. artic. 1. quæst. 2. ad 3. Vbi inquit, si in resurrectione non redeat eadem anima sensibilis, non fore idem animal, & consequenter neque eundem hominem. Quia hic homo essentialiter includit, quod si hoc animal: & quia variata parte essentiali, non potest simpliciter manere idem, quod antea erat. Deinde supposita vera sententia, in homine tantum esse vnam formam substantialem, est hoc simpliciter necessarium. Quia non potest eadem numero anima rationalis redire, quin redeat eadem anima vegetans, & sentiens talis hominis, cum sit vna, & eadem, quæ non potest informare secundum vltimum gradum, quin informet secundum omnes. Tum quia in re non distinguuntur hi gradus, tum etiam quia sunt essentialiter subordinati. Denique (etiam si verum esset illas animas esse distinctas, ac materiales) tamen sine dubio possent à Deo iterum produci, ut in sequentibus attingemus. Atque de facto asserendum esset, ita fieri in vera hominis resurrectione, ut sic vere idem numero homo, qui resurgit.

Tota igitur difficultas versatur in posteriori parte quæstionis, an scilicet necessitate resurrectionis sit eadem materia corporis resurgentis, & mortui. In qua non est dubium de identitate specifica, seu essentiali. Quia cum hæc species materiæ scilicet rerum generabilium, & corruptibilium sit de essentia corporis humani, & consequenter de essentia hominis, si materia corporis resurgentis non esset eiusdem speciei, compositum ex illa non solum non esset idem homo, qui antea fuerat, verum etiam neque esset homo. Non esset ergo illa resurrectio: sed noua productio cuiusdam noui monstri. Vnde sententia Eutichetis, Origenis, & aliorum, qui posuerunt corpora hominum resurgentium futura alterius rationis, quam nunc sunt, vel hoc titulo, hæresis merito damnatur, quod veritatem resurrectionis euertat, quamuis illa hæresis possit aliis modis intelligi ut inferius iterum attingemus. Dubium ergo inter Catholicos solum est de identitate numerica materiæ primæ. Quidam enim existimant, non esse necessarium. Quæ sententia tribuitur Origeni exponenti verba illa Psalm. 1. *Non resurgent impij in iudicio*, ut ex Methodio in dialogo Aglaophon, seu de resurrectione refert Epiphanius. hæres. 64. vbi licet non expressa loquatur de identitate numerica, necesse est tamen saltem de hac intelligi. Nam expresse dicit non requiri idem primum subiectum, & hoc modo defendit hanc sententiam Durandus 4. distinctione.

Orig.
Method.
Epiphanius.
Durand.

44. q. 1. Cuius fundamentum est, quia forma est, quæ dat composito esse, & vnitatem. Materia enim, cum de se sit pura potentia, ab hac forma habet, quod sit hæc, & quod distinguatur ab alia, quia sicut totum esse eius est à forma, ita identitas, & diuersitas actualis, ergo quodcumque est sub eadem forma idem compositum resultat: ergo, ut sit vera resurrectio eiusdem hominis, satis est, quod anima sit eadem. Et confirmatur primo, quia in homine per nutritionem variatur materia, & fortasse per aliquot annos tota variatur: & nihilominus manet semper idem homo: ergo similiter esset idem homo, si iterum produceretur ex eadem anima compositus, quauis materia esset diuersa, ergo esset vera resurrectio. Et hoc argumentum ampliat valde Origenes apud Methodium supra, inquirens, si materia futura est eadem in resurrectione, an sit illa, quæ homo habuit in pueritia, vel in senectute, quia materia semper fluit. Confirmatur secundo, quia alias si duo homines successiue habuissent eandem materiam, non possent postea simul resurgere. Quia non posset vtrique eadem materia tribui sine nouo saltu miraculo, scilicet quod eadem materia simul sit sub duabus formis, quod Durandus simpliciter impossibile esse iudicat. Similiter qui mortuus esset puer, non posset nisi puer resurgere.

Communis vero sententia est, de necessitate resurrectionis esse, ut corpus resurgentis constet ex eadem numero materia, ex qua prius constituitur. Ita D. Thom. 4. cont. Gent. c. 81. & quodl. 11. artic. 6. & in 4. disp. 44. qu. 1. art. 1. quæst. 1. vbi Scotus, Palud. Capreolus & ceteri Scholastici hanc sententiam amplectuntur. Ratio est, quia sicut materia est de essentia hominis, ita identitas materiæ est de ratione eiusdem hominis. Quod declaratur, refellendo simul præcipuum Durandi fundamentum, in quo repugnantia quadam inuoluere videtur. Materia enim suam propriam entitatem habet, quæ sub diuersis formis manet eadem, alias in generatione nihil maneret in genito quod fuit in corrupto. Quia si aliquid manet, illud est aliqua res: maxime tamen est res, quæ est materia: ergo repugnat, ut materia accipiat totam identitatem, vel diuersitatem à forma. Nam illa entitas, quæ supponitur formæ, de se est eadem vel diuersa. Imo nisi hoc ita sit, in ipsa quæstione, quam Durandus admittit ut possibilem, inuoluitur repugnantia. Nam si materia hoc ipso quod est sub eadem forma, est eadem, impossibile est, eandem animam informare diuersas materias, quod in propo- sita dubitatione supponitur. Quod si Durandus dicat materiam, ut puram potentiam esse diuersam: tamen ut est actus, esse eandem, in primis falsum supponit. Quia quantumuis materia consideretur, ut potentia pura in ordine ad actum formalem, necesse est ut in se sit aliqua entitas, ut esse possit vera ac realis potentia passiva. Deinde non expedit difficultatem: quia materia etiam ut pura potentia, est de essentia compositi substantialis, & ideo si illa est diuersa, non erit idem homo, qui resurgit. Et confirmatur, nam transmigrationis animarum (quam Pythagorei ponebant) non censetur resurrectio: sed noua generatio, quamuis eadem anima relicto vno corpore aliud informaret, ergo ad resurrectionem non satis est identitas animæ, si distincta sit materia, quam informat, sed erit potius illa quadam animæ transmigrationis.

Hæc difficultas pendet multum ex illa quæstione, an variata materia sub eadem forma sit idem homo, necne. Quæ quidem multum potest esse de nomine. Nam res fere constat, scilicet illum hominem omnino, & quoad omnes partes essentielles non esse eundem: quoad præcipuam vero partem, quæ proprie hominem constituit, esse eundem, & ideo si illa variatio materiæ paulatim fiat, & sub eadem corporis organizatione simpliciter censetur idem homo,

Q. 4 loquen-

D. Thom.
Scotus.
Palud.
Capreolus

Materia
primaria
& de se
pro-
pria habet
entitatem

Durand.

loquendo humano more. Si autem fieret subita quædam mutatio totius corporis in aliud, non censetur simpliciter idem homo, quamvis fortasse fieret modo imperceptibili, & cum organizatione & figura simili: idem simpliciter vocaretur. Nam quod variatio paulatim fiat, vel subito ad veram rei identitatem vel diuersitatem, nihil referre videtur: sed solum ad existimationem, & ad loquendi modum. Iuxta hæc ergo difficultas posita resolui posset, dicendo resurrectionem perfectam ex omni parte requirere identitatem materiæ, resurrectionem vero imperfectam, & secundum quid posse consistere cum sola identitate formæ.

*De ratione
perfectæ
resurrectionis
est omnino
de formæ
materiæque
identitas.*

Vt tamen non tantum modus loquendi, sed res ipsa magis explicetur, aduerto, quod cum resurrectione (vt dixi) sit mutatio quædam, in qua subiectum, & terminus reperitur, interdum potest denominare subiectum, quo modo dicimus resurgere corpus, quod mortuum erat, corpus enim illud, subiectum est, non terminus resurrectionis. Interdum vero potest denominare terminum, quo modo dicimus resurrexisse hominem vt Lazarum, verbi gratia. Animam vero proprie non denominat, quia illa non ceciderat, sed viua permanerat, quamvis denominari possit reunita corpori per resurrectionem. Igitur si resurrectio consideretur in ordine ad terminum, si recte responsum est, sicut est idem, vel alius homo mutata materia sub eadem anima, ita secundum quid posse dici reproductionem, seu resurrectionem eiusdem hominis variata materia, non tamen simpliciter & perfecte. At vero, si resurrectio dicatur in ordine ad subiectum, sic non potest dici vera illius resurrectio, nisi eadem materia numero, quæ fuit in mortuo, sit in homine suscitato. Quia si non est eadem materia corporis mortui, & resurgentis, quamvis resurgat aliquo modo idem homo, tamen illud corpus quod fuit mortuum, vere non resurgit, quandoquidem ulterius non informatur anima. Item, quia si corpus denominatur resurgens, ergo oportet, vt illa mutatio, quæ est resurrectio, in illo fiat, tanquam in subiecto, alias nullo modo denominari poterit à tali mutatione: ergo necesse est, vt forma introducat in illam materiam, ex qua tale corpus constat, quia corpus non est subiectum illius mutationis nisi ratione materiæ, quæ in se recipit formam. Denique propter hanc causam in scriptura sacra non tantum hominum resurrectio prædicatur: sed etiam promittitur ipsorum corporum, & ossium, ac membrorum suscitatio, vt significetur non veteres homines esse suscitandos, sed perfecte, hoc est, per viuificationem eorundem corporum, quoniam videlicet hæc est de ratione perfectæ resurrectionis. Vnde Ioann. 5. ait Christus, Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vite, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii, & Luc. 21. Capillus de capite vestro non peribit, 1. ad Corint. 15. Seminatur corpus animale, surget spirituale: seminatur in corruptione, surget in incorruptione, & Iob. 19. In nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabo pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Vbi Gregor. libr. 14. capite 27. & sequentibus id late confirmat, & inter alia inquit. Non recte resurrectio dici potest, vbi non resurgit, quod cecidit. Eteodem modo interpretatur hæc loca Hier. in ep. 61. ad Pámachiū contra errores Ioannis Ierosolymitani, & late Aug. 22. de Ciuit. c. 22. & seq. & in Ench. ca. 84. & seq. vbi fuse declarat, quomodo eadem materia sit futura in corporibus resurgentium, & optime libr. 2. de consolatione mortuorum. Vbi id confirmat ex Isaia 26. Exurgent mortui, & resurgent qui in monumentis sunt, & Ezech. 37. Ossia arida audite verbum Dei, &c. Et Fulgentius lib. de fide ad Petrum, capit. 3. vbi dicit in Christi aduentu à primi hominis corpore, vsque ad omnium hominum corpora esse suscitanda, & singula corpora singulis suis animabus ef-

*Luc 21.
1. Cor. 15.
Iob 19.
In resurrectione, eiusdem omnino corporum futura reparatio
Hieronymus
Augustinus.*

*Isaia 26.
Ezech. 37.
Fulgent.*

A se reddenda. Denique Damascenus lib. 4. de fide cap. 28. Resurrectionem (inquit) dicentes, corporum resurrectionem intelligimus. Resurrectio enim nihil aliud est, quam secundum quod cecidit, resurrectio. Ex quo efficitur, vt illud ipsum corpus, quod interit, & dissoluitur, tandem interitus expertus, ad vitam rediturum sit. Similia multa habet Tertullianus in lib. de resurrectione carnis. Chrysostomus variis homiliis de resurrectione, in tomo 5. & alij Patres, qui de hoc argumento scripserunt, quorum testimonia in sequentibus attingemus. Itaque quamvis ille modus imperfectæ resurrectionis à Durando confictus concipi possit, & intelligi, vt possibilis: tamen vera resurrectio, prout Scriptura & Ecclesia de ea loquuntur, identitatem requirit non solum animæ, sed etiam materiæ. Et præter dicta, addi potest ratio sumpta ab ordine diuinæ iustitiæ ex Dion. cap. 7. de Eccles. Hierar. par. 1. vbi sic inquit. Alij vero animabus aliorum corporum coniugia tribuunt, iniuriis (vt reos) quantum in se est efficientes corpora, quæ cum sanctis animabus laborarunt, sacrisque retributionibus priuantes, quæ ad finem sanctissimi cursus peruenerunt.

Dionysius

Fundamento Durandi iam satisfactum est, prima quoque confirmatio expedita est. Ad secundam vero de primo casu, illo fere argumento utebantur gentes ad eludendam resurrectionem, vt refert Iustinus in quætionibus Græcorum ad Christianos in fine. Quibus ipse nihil aliud respondet, quam propter has nugas non esse resurrectionem in dubium reuocandam, sed spectandam Dei potentiam. Plura vero de eodem argumento scribit Athenagoras libr. de resurrectione, vbi dicit, etiã si quis humanis carnis velsatur, nunquam illis nutrir, nec eas in se conuertere, sed vim nutritiuam statim resiliere, & id alimentum abijcere. Sed hoc, & contra experientiam est, & contra rationem physicam, quia naturalis calor naturaliter operatur. D. Thom. ergo 4. d. 44. q. 1. art. 2. q. 4. ad 3. & 4. ad 4. contra gen. c. 81. respondet, si eadē pars materiæ in duobus hominibus fuerit, illi esse tribuendam, qui eam habuit in sua prima productione, quod si contingit in hoc esse æquales, illi esse tribuendam, qui primus illam habuit. Et hac sola posteriori regula videtur Augustinus supra citatis locis, dicens eam materiam illi animæ esse tribuendam, quæ primo illam informauit. Quia veluti primum ius in eam acquisiuit, & illius facta est propria, quæ vero postea illam habuit, quasi mutuatū illam accepit. Sed in primis non video, quam certa ratione hoc constet, aut cur sola temporis antecessio aliquod maius ius conferat. Præsertim cum fieri possit, vt is, qui posterius illam habuit, diuturniori tempore eam possederit: vel certe vt habuerit per generationem, & quasi primum sui corporis fundamentum: alius vero solum per nutritionem, vt D. Thomas dixit. In cuius regula illud solum difficultatis occurrit, quia solum attēdit rationem physicam, non moralem. Videtur autem etiam esse habenda meritorum ratio. Dicendum ergo videtur, sine speciali miraculo (quod fingendum non est sine fundamento) non posse euenire, vt duo homines in toto vite discursu eadem omnino materiam habeant. Quia nullus est, qui solis humanis carnis nutriatur: imo pauci sunt, qui aliquando eis vtantur in cibum: ac dein de tot sunt rerum transmutationes, vt naturaliter accidere non possit eandem omnino materiæ partem tam in generatione, quam in nutritione, & augmento à duobus hominibus participari. Quocirca, non fingendo aliud miraculum, semper vnique restituitur saltem illa pars materiæ, quæ illius fuit propria, & non alterius hominis. Quod si fortasse in aliquibus partibus materiæ communicent, & non sufficiant ad vtrumque corpus integrum formandum: tunc iuxta ordinem diuinæ prouidentie, & iustitiæ, vel diuidetur illa materia, vel alteri tota dabitur pro ratione meritorum

*Responsio ad
argumenta
in oppositum
Iustin.*

Athenag.

D. Thom.

August.

rum vtriusque: ita, vt quoad fieri possit seruetur iustitia distributiva, & homo accipiat primum, vel poenam etiam in ea parte corporis, quæ ad bene, vel male operandum magis illi cooperata est, alia vero pars materiæ supplebitur aliunde. In quo nihil fit contra veritatem resurrectionis: quia vere resurgit totum, quod ceciderat: supplentur autem defectus, quos in hominibus esse contingit. Et idem proportionaliter dicendum est, etiam si fingatur casus, in quo aliquis homo nullam materiam habeat, quæ non fuerit alterius hominis. Quia cum materia humani corporis in toto vita discursu multa sit, etiam si pars materiæ vnius corporis alteri tribuatur, nunquam deerit aliqua alia pars materiæ proprii corporis, ex quo possit hominis resurgens corpus fabricari. Ac denique facile est Deo sua potentia, & providentia ita omnia disponere ac distribuere, vt vnusquisque vel omnino, vel maiori ex parte suum proprium corpus accipiat. Vnde vanum est, quod Origenes supra interrogabat, an hæc materia sumenda sit ex puerili, vel senili corpore? nihil enim hoc refert, dummodo identitas materiæ aliquo modo seruetur: reliqua vero Deus disponet vel prout magis expediet ad reddendum singulis condignum primum, poenamve, vel prout necessarium fuerit ad communem omnium hominum resurrectionem perficiendam.

Ex quo etiam facilis est responsio ad aliam partem secundæ confirmationis Durandi, scilicet quomodo possit resurgere in maiori corpore, verbi gratia, virili, qui in paruo, & infantili mortuus est. In quo quidam dicunt, posse Deum ex quacunque parte materiæ quantumvis minima fabricare corpus magnæ molis, & quantitatis, nulla facta additione substantiæ, seu materiæ, sed tantum quantitatis & aliorum accidentium. Sicut formauit corpus Eue ex costa Adæ, in qua exigua portio erat materiæ, & tamen corpus ex illa formatum perfectum, & completa magnitudinis fuit. Ita sentit Gregor. Nyssenus orat. de Resur. circa medium, & insinuat Augustin. sermon. 2. de consolatio. mortuorum cap. 3. dicens. *Sed dubitas, quomodo de paruis ossibus totus possit homo restitui. Reuera tu ex modica cinilla ignem ingentem suscitasti flammam. Deus non poterit ex modica cineris fermento totum corpusculi tui redintegrare conspersum.* Nec defuerunt Philosophi, qui crediderint hoc esse possibile. Quod si verum esset, facile iuxta hunc dicendi modum omnia dubia supra insinuata soluerentur. Mihi tamen huiusmodi responsio probari non potest, quia modus ille vel impossibilis est, vel eo modo, quo est possibilis, ad veram resurrectionem non confert. Quod ita explico, nam ex parua materia intelligi potest fieri corpus magnæ molis suis membris distinctum, æque, vel magis densum, quam ex eadem materia prius esset paruum compactum: hoc (inquam) intelligi potest, si talis materia sub eadem, vel sub diuersis partibus quantitatis in pluribus locis, iuxta parcium, ac membrorum multitudinem constituatur. Hic tamen modus nec connaturalis est, nec veritati resurrectionis accommodatus. Corpora enim resurgentium futura sunt in sua natura integra, & perfecta, & quantum ad substantialem compositionem pertinet, modo connaturali constituta. Si autem non fingitur huiusmodi replicatio materiæ in multis partibus, & locis, non potest mente concipi, quomodo ex parua materia fiat magnum corpus, non per rarefactionem (hoc enim non est ad rem) sed cum debita densitate, quæ maior est in virili, quam in puerili corpore. Quia naturalis constitutio corporis in tanta densitate necessario requirit tantam materiam, sicut & tantam quantitatem. Imo tanta quantitas necessario postulat tantam materiam. Vnde, si pars materiæ auferatur, vel pars quantitatis tollenda est, vel necesse est, vt sine subiecto maneat. Quia quantitas veluti adæquate ad-

hæret materiæ, ita vt pars quantitatis parti materiæ respondeat, & neque in vna parte materiæ intelligatur esse duplex pars quantitatis, neque vna pars quantitatis in duplici materiæ parte. Ergo, sicut ex parua quantitate non potest fieri magna æque, vel magis densa, nulla addita quantitate: ita neque ex parua materia potest fieri magnum corpus substantiale, & materiale, nulla facta additione materiæ. Respondetur ergo cum D. Thom. in 4. d. 44. quæst. 1. artic. 2. quæst. 4. ad 3. vt puer resurgat in magnitudine perfecta, & in corpore naturali modo constituto, necessarium esse aliquam additionem fieri. Quod non erit contra veritatem, & perfectionem resurrectionis, quia vere resurget idem numero, quod cecidit, habebitque totam materiam eandem, quam antea habuit, sed non illam solam, quia non habuerat integram atque perfectam.

Ex his facile etiam intelligi potest, an sit de necessitate veræ resurrectionis, vt tota materia, quæ fuit in mortuo, restituitur homini suscitato. Dicendum est enim ad veram resurrectionem solum requiri, vt ex priori materia restituitur corpus humanum constans ex omnibus, quæ sunt caro, sanguis, & aliæ partes, & humores, quanquam aliquæ partes non sunt simpliciter necessariae, sed ad quandam integritatem, ne corpus sit mutilum, aut imperfectum, vt latissime explicat D. Thom. in 4. distin. 44. quæst. 1. artic. 2. Illa ergo materia, quæ sufficiens fuerit ad huiusmodi corpus componendum, resumetur, & satis erit ad veram resurrectionem. Si quia vero superfuerit, cum illa non sit necessaria corpori humano, nec erit necessaria ad veram resurrectionem: si tamen aliquid defuerit, aliunde suppleri poterit, vt dictum est.

Duo tamen supersunt dubia circa superius dicta. Primum est, vtum non solum necessarium sit, vt materia totius corporis sit eadem: sed etiam, vt materia singulorum membrorum respectiue sit eadem, id est, vt ex eadem parte materiæ, ex qua prius constabat corpus, constet postea & similiter manus, iecur, pes, &c. Nam D. Tho. in 4. dif. 44. q. 1. ar. 1. quæst. 3. indicat hoc esse de necessitate resurrectionis, præsertim loquendo de materia, quæ existerat in partibus diuersarum rationum. Quia facta variatione in huiusmodi partibus, fit varietas essentialis. Et hanc sententiam sequuntur ibi aliqui recentiores. At vero D. August. in Enchirid. cap. 89. & libr. 22. de Ciuit. capit. 10. expresse negat hoc esse de necessitate resurrectionis. Quam sententiam sequutus est Anselmus in elucidario, & ad Ephes. 4. & ex Scholasticis supplementum Gabr. in 4. d. 44. q. 1. artic. 2. conclusionem 6. quam dicit esse communem doctorum sententiam. & probari potest ratione contraria illi, quam D. Th. insinuat. Nam si totum corpus constat ex tota eadem materia realiter, & substantialiter erit idem corpus, etiam si inter partes sit facta materiæ commutatio, quia huiusmodi varietas non facit substantialem diuersitatem, sed sicuaalem tantum, vel accidentalem, ergo ea non obstante erit simpliciter idem homo, qui resurgit, erit ergo vera resurrectio. Et confirmatur. Nam de partibus homogeneis D. Thomas concedit non esse contra veritatem resurrectionis, quod sita transmutentur secundum materiam, ergo idem erit de partibus heterogeneis. Nam quamuis hæc partes dicantur diuersarum rationum, hoc solum est quoad dispositiones, & accidentia (nam in substantiali compositione non differunt) ergo non obstante prædicta transmutatione erit simpliciter idem homo quoad substantiam, atque adeo & vera resurrectio, quæ intrinsece est mutatio substantialis.

Et hæc posterior sententia verior mihi videtur, si in rigore loquamur de his, quæ necessaria sunt ad veram & absolutam resurrectionem. Si autem loquamur de maiori perfectione resurrectionis, & prout illam futuram

1. Dubium.

D. Thom.

August.

Anselm.

Sup. Gabr.

Responsio.

Identitas in

materia sin-

gularum mem-

brorum quæ-

futura

Puer in exiguâ defunctus corpore resurgere in maiori quomodo possit.

Greg. Nyss. August.

modo si de
necessitate
resurrectionis.

futuram speramus, hoc modo probabilius est fer-
uādam esse identitatem materiæ non solum in toto:
sed etiam in partibus, quo ad fieri commode possit.
Hoc enim diuinæ potentie facile est, habetque ma-
iorem quandam congruitatem, & pertinere inter-
dum potest ad perfectam remunerationem, & vin-
dictam, ut nimirum in eadem parte, quæ fuit orga-
num virtutis, aut vitij, præmium, vel poena recipia-
tur. Sicut enim Sancti probant resurrectionem, quia
æquum est, ut corpus, quod fuit instrumentum ani-
mæ ad opera iustitiæ, sit particeps beatitudinis eius:
ita probari potest, congruum esse, ut pars, nimirum
oculus, per quem Sanctus lacrymas compunctionis
effudit, resurgat etiam oculus, per quem Sanctus
Christi visione fruatur. Iuxta illud quod Iob. 19.
Quem oculi mei conspexerunt, & sic de cæteris. Quæ
ratio & congruentia maior est inter partes hetero-
geneas, quæ sunt instrumenta operationis, earumque
ordo, & situs intensus à natura est, quæque alio mo-
do formaliter distinguuntur: quam in partibus ho-
mogeneis, quæ omnino sunt eiusdem rationis, & ea-
rum situs, & ordo quodam modo accidentarius est,
& ita D. Thomas supra interpretatur suam, & Au-
gustini sententiam.

2. Dubium.

Vnio anima
& corporis
eadem in
spe. 10. cum
priori
necessaria
ad resurre-
ctionem.

Alterum dubium est, an de necessitate resurre-
ctionis sit eadem vnio animæ, & corporis, quæ an-
tea erat. Vbi non est sermo de vnitæte specificæ. Nam
hæc sine dubio est necessaria, quia in resurrectione
necesse est, ut anima informet corpus modo, & cau-
salitate formali connaturali ipsi animæ, & contra-
rio, ut materia suscipiat animam, componatque ho-
minem concurrente etiam modo connaturali in
genere causæ materialis. Hæc ergo causalitas neces-
sario est futura eiusdem rationis, & speciei, ergo &
vnio, quæ est ipsa met causalitas, seu quasi via in suo
genere ad effectum istarum causarum componen-
dum. Quin potius fortasse non est possibilis vnio
inter materiam, & animam alterius speciei: si tamen
talis sit vnio, ut ex ea homo resultet. Nam sicut ho-
mo est vnus speciei: ita & vnio, & informatio, per
quam componitur, est vnus tantum rationis. De v-
nitæte vero numerica potest esse nonnulla ratio du-
biandi. Hinc enim videtur non solum non esse ne-
cessarium: verum nec possibile, ut idem modus v-
nionis restituatur. Quia non habet entitatem pro-
prium, sed solum est modificatio entitatis, & non
habet vnitatem numericam ab ipsa entitate, quam
modificat, cum in eadem entitate possint modi nu-
mero differentes successiue fieri: ergo indiuiduatur
hic modus ex eo, quod hic, & nunc sit in tali re, ergo
hoc ipso, quod sit diuerso tempore, & diuersa actio-
ne, quam prior modus, necessario erit numero di-
uersus. Et confirmatur, nam propter hanc solam cau-
sam res successiua, quæ semel transeunt, non possunt
eadem numero restitui, quia sunt modi quidam, qui
per sese indiuiduantur ex eo, quod hic & nunc sunt.
Quocirca si ille modus vnionis idem numero resti-
tui potest etiam eadem numero sessio poterit resti-
tui: ergo & eadem circulatio, & quælibet alia res suc-
cessiua: Hoc autem absurdum est: alias sequeretur
etiam ex natura rei semper redire eundem numero
modum, quandoque in eadem re, & in ordine
ad idem, iterum, atque iterum redit. Vt verbi gratia;
si postquam surrexi, iterum sedeo in eodem loco, &
cum eodem omnino situ, eadem omnino numero
sessio fiet, quæ ante præcesserat: & idem est de figura,
motu, & similibus. Quia in his nulla est ratio distin-
ctionis, nisi temporis diuersitas, ergo vel hæc nun-
quam satis est ad numericam diuersitatem, & ita re-
dibit semper idem numero, vel si aliquando sufficit,
semper illam efficiet, etiam in ordine ad diuinam
potentiam. In contrarium autem est: quia de essen-
tia hominis non tantum sunt materia, & anima, sed
etiam vnio earum inter se, ergo de ratione huius ho-
minis, non tantum est hæc materia, & hæc anima,

sed hæc etiam vnio: ergo ut verum sit reparari hunc
hominem absolute, necessarium est etiam hanc vnio-
nem materiæ, & formæ restitui. Respondent aliqui,
illam vnionem esse accidentem, & ideo non esse de ne-
cessitate eiusdem hominis. Ita Viguerius in institu-
tionibus c. 21. §. 2. verficulo 4. Sed hoc est falsum, nam
illa vnio non est accidens, sed modus substantialis,
cum ad compositionem substantiæ intrinsece per-
tineat.

In hac re dicendum videtur: non esse simpliciter
ad veram resurrectionem necessarium, ut idem mo-
dus vnionis materiæ, & formæ restituatur. Ita do-
cet D. Thom. in 4. distinct. 44. q. 1. artic. 2. ad 2. Quia
principia, quæ simpliciter constituunt hunc homi-
nem, sunt materia, & forma: vnio autem est condi-
tio, & quasi via, & causalitas in genere causæ mate-
rialis, & formalis ad hunc effectum constituendum,
& ideo effectus, seu homo erit simpliciter idem nu-
mero, si ex eisdem principiis constet, etiam si vnio sit
numero diuersa. Sicut si Christus nunc humanita-
tem dimitteret, & iterum illam assumeret per aliam
vnionem numero distinctam, nihilominus persona
composita eadem numero esset, quæ antea erat. Ad-
do vero non esse impossibile Deo eandem vnionem
numero reparare. Potuisset enim ille hanc vnionem
numero nunc facere, si antea non fuisset: quod au-
tem prius fuerit: cum iam non sit, non abstulit Deo
potentiam ad illam faciendam. Item Deus potuisset
conseruare illam vnionem, vsque ad hoc tempus,
ergo eadem ratione poterit in priori, & posteriori
tempore illam efficere, non conseruando eam in tem-
pore medio: nulla est enim maior repugnantia, cum
conseruare sit reuera efficere. Tandem Deus non pen-
det in sua actione à circumstantiis, nec determina-
tur ab illis ad agendum hoc potius quam illud: sed à
sua voluntate. Et hæc rationes (ut verum fatear) pro-
cedunt de omnibus rebus, & modis præsertim per-
manentibus (ut nunc abstraham à disputatione de
successiuis). Neque inde tamen fit, naturaliter semper
eundem numero modum redire, quandoque re-
dit omnino similis in specie. Hi enim modi, sicut &
res aliæ permanentes, non distinguuntur numero
ex circumstantiis extrinsecis, quia hic, & nunc sunt;
(sunt enim hæc valde extrinsecæ) sed distinguuntur
seipsis. Nam eo modo, quo habent esse, per illud di-
stinguuntur, sicut & constituuntur. Tamen quam-
uis res hæc non distinguantur numero per illas cir-
cumstantias: sed agentia naturalia determinantur
ad agendum hoc indiuiduum potius, quam illud à
subiecto, & circumstantiis, & ideoque successiue tem-
poris efficiunt formas, & modos numero diuersos
in subiecto. At Deus non pendet, nec determinatur
à subiecto, & circumstantiis, ideoque potest & effi-
cere vnionem numero diuersam, & eandem repa-
rare pro sua voluntate. Ex quo tandem probabilius
existimo de facto reparari in resurrectione eandem
numero vnionem, quæ antea fuerat inter materiam
& formam. Quia licet hoc non sit simpliciter neces-
sarium ad vnitatem eiusdem hominis: tamen ali-
quid confert ad perfectiorem vnitatem. Cum ergo
tam facile possit Deus eandem numero restituere,
sicut nouam efficere, verisimilius est eandem resti-
tuere.

SECTIO III.

Virum ad resurrectionem eadem requirantur acci-
dentia, idemque sexus.

Circa priorem partem loqui possumus (sicut in
Caliis diximus) vel de identitate specificæ, vel de
numerica. Et videtur sane neutram vnitatem requiri.
Quia cum resurrectio dicatur mutationem substantia-
lem (ut diximus) si restituatur eadem numero
substantia, erit vera resurrectio, etiam si nulla acci-
dentia

Viguer.

D. Thom.
Vnio mate-
riae, eadem
numero cum
priori non
de necessitate
resurrectionis
dicitur.

Reproduci-
tur eadem
numero etiam
permanen-
tium possi-
bilis Deo.

Vnio inter
materiam
& formam
eadem cum
priori resti-
tuatur in
resurrectione
non.

dentia restituantur, neque eadem, neque similia. Et ita videtur de resurrectione sensisse Eutyches, qui dixit resurrectione quidem corpora, non tamen palpabilia: sed aere subtiliora. Qui error solet etiam tribui Origeni, qui videtur negasse, futura esse corpora organica, sed rotunda, ut videre licet in Prateolo verb. Origenista, & ver. Eutychiani, Castr. verb. resurrectione, hæref. 2. & 13. & videri etiam potest Sixtus Senen. libr. 5. Bibli. annot. 143. qui eum vindicat ab hac nota. Dicendum itaque in primis, necessaria esse aliqua accidentia saltem similia in specie. Quod existimo certum, quia de fide certum est ad veritatem resurrectionis pertinere, ut resurgat corpus heterogeneū habens ossa, carnem & nervos, & cæteras partes apte dispositas, ut per animam rationalem vivificentur: sed hæc dispositio fieri nequit sine aliquibus accidentibus, ac temperamento connaturali corpori humano, hæc ergo accidentia necessaria sunt, saltem specie similia. Consequentia cum minori evidens est. Maior vero constat ex scripturis supra citatis, in quibus ossium, & carnis resurrectio promittitur. Vnde Christus aiebat. *Palpate, & videte, quia spiritus carnis, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Hoc ergo exemplo capitis nostri (ut inquit Concil. Toleranum II. in confessione fidei) *confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum, neque in aerea, vel qualibet alia carne: (ut quidam delirant) resurrecturos non credimus: sed in ista, qua vivimus, moveamur, & sumus.* Ex quo testimonio evidenter colligitur, ad veritatem resurrectionis non tantum requiri eandem materiam primam. Hanc enim fortasse non negassent, saltem secundum identitatem specificam, Eutyches, Origenes, & alij, qui dicebant corpora resurgentium futura aerea, vel rotunda. Nam hæc corpora eiusdem materiæ essent cum terrestri: differrent autem in temperamento, & dispositione. Ergo illi fuerunt hæretici non negando identitatem materiæ: sed veritatem temperamenti corporis humani, & partium eius, quod temperamentum in accidentibus consistit. Ratio vero est, quia licet resurrectio essentialiter sit mutatio substantialis: tamen substantia, quæ per illam fit, non potest naturaliter consistere absque huiusmodi accidentibus, & ideo quamvis hæc accidentia per se primo non requirantur, tanquam de essentia ipsius resurrectionis, vel primarij termini eius: requiruntur tamen per se secundo, ut dispositiones, & proprietates necessariae ad eam unionem, quæ per resurrectionem fit, vel eam consequentes. Vnde intelligitur non solum esse necessaria hæc accidentia similia in specie: sed etiam in illo gradu, & temperamento, quod possit esse connaturale corpori humano tum in specie, tum in individuo. Quia ratio facta æque de his omnibus procedit: de aliis autem accidentibus non est eadem ratio. Et propter hanc causam non dixi esse necessaria omnia accidentia, sed aliqua. Nam si qua erant in homine prius vivente aduentitia, nihil ad perfectionem conducentia, neque ad naturalem rei statum, hæc non est necesse redire, quia neque pertinent ad identitatem simpliciter hominis, neque ex illa sequuntur. Et similiter fieri potest, salva veritate resurrectionis, ut homo resurgens habeat multa accidentia, quæ prius non habuerat nec in individuo, nec in specie. Quia hoc non repugnat cum vera eiusdem hominis unitate, neque est contra naturalem perfectionem eius, sed spectare potest ad altiore perfectionem, & statum. Et hoc modo salva veritate resurrectionis potest, corpus animale resurgere spirituale, & quod erat mortale, resurgere immortale, ut Apostolus dixit, 1. ad Cor. 15. & in sequentibus latius declarabimus.

Secundo de unitate numerica dicendum est, quædam esse accidentia, quæ post mortem hominis, & dissolutionem compositi semper manent in altera ex partibus separatis, ut intellectus, & voluntas in anima, & quantitas in materia prima, iuxta proba-

biliorum sententiam, & ad hoc etiam propositum docuit D. Thomas in 4. distinctione 44. questione 1. articulo 1. questione 1. ad 3. Et hæc accidentia necessaria sunt, ut eadem numero redeant. Quia necessario consequuntur eadem principia substantialia, quorum unio per resurrectionem fit. Alia vero accidentia, quæ per se pendent à toto composito, & illo dissoluto, vel statim pereunt, ut sensus, vel paulatim corrumpuntur, ut calor, & alia qualitates, & de his si in rigore loquamur, dicendum est, non esse simpliciter necessaria ad veram resurrectionem. Ira Divinus Thomas loco citato ad 4. Et patet, quia quantum illa variantur, potest eadem substantia consistere modo connaturali. Declaratur exemplo, nam quando Christus verbigratia illuminavit cæcum, non est necesse, ut eundem omnino numero visum, illi restituerit, quem antea habuerat, aut quem habiturus esset, si principio generationis non impediretur. Quæ enim huius rei necessitas? Sicut enim ignis quocunque calore, etiam si numero distinctus sit, erit contentus, & connaturali modo existeret: ita si homo recipiat visum suæ naturæ accommodatum, satis illi erit, tametsi idem numero non sit: idem ergo dici poterit in resurrectione. Et de facto ita esse futurum sentiunt D. Thomas, Scotus, & Durandus, Scotus, & alij, in 4. distinctione 44. & idem Divinus Thomas 4. contra Gent. capit. 31. ad 2. objectionem. Sed licet hoc probabile sit, verisimilius tamen est, in resurrectione hominum, quæ erit perfectissima, restitutum iri eadem numero accidentia, præsertim illa, quæ sunt aliquo modo intrinseca naturæ, ut facultates sensui, & similes. Quod indicatur verbis illis Iob. *Quem oculi mei conspexi sunt.* Et congruentia adiungi potest. Quia hoc est Deo æque facile, & pertinet ad quandam rationem iustitiæ, ut idem sensus, qui fuerunt organa merendi, sint etiam præmij participes. Et hanc opinionem elegit Palacius, in quarta distinctione 43. disputatione secunda, in fine.

Ex his oritur ratio dubitandi circa posteriorem partem questionis de identitate sexus, eiusque resolutione. Sexus enim non pertinet ad substantialem identitatem eiusdem compositi. Nam si constet ex eadem materia, & anima, erit idem compositum, quamvis sexus varietur. Neque etiam pertinet ad ea, quæ intrinsece consequuntur substantialem hominis compositionem: sed videtur esse quoddam accidens valde extrinsecum consistens tantum in figura quadam, & situ aliquarum partium corporis humani, ergo licet varietur, vel omnino tollatur, non tollitur veritas resurrectionis. Et confirmatur, nam ita fiet in hominum resurrectione, quæ tamen perfectissima erit. Assumptum patet ex Basil. Psal. 114. & Hier. ad Ephes. ubi sic inquit. *Foveamus, & viri uxores, & anima nostra corpora: ut & uxores in viros, & corpora redigantur in animas, & nequaquam sit sexuum vlla diversitas. Sed quomodo apud Angelos non est vir, & mulier, ita & nos qui similes Angelis futuri sumus, iam esse incipimus, quod nobis in carnalibus reprobum est.* Similia habet Athanasius, serm. 3. contra Arrian. non longe à fine.

Dicendum vero est in primis, in futura generali resurrectione hominum servandum esse sexuum diversitatem ita ut in eo unusquisque resurgat, in quo conceptus fuit. Hoc certum est, ut constet ex doctrina omnium Scholasticorum in 4. disput. 44. neque aliquis Catholicus id veritatem dubium, sed solum illi hæretici, qui humanum corpus organicum negant futurum esse in hominibus resurgentibus. Sancti vero Patres sicut credunt illa corpora futura esse suis organis distincta, & composita, ita distinctionem sexuum in eis futuram agnoscunt. Ut diserte tradunt Tert. libr. de resurrectione carnis c. 60. & sequentibus, Hier. epist. 61. supra citata ad Pammach. de erroribus Ioannis Ierosolymitani, & in Epistola Augusti. 27. ad Eustoch. non longe à fine, & Augustinus 32. de Civitate

cum priori: bus num sit ad resurrectionem necessaria.
D. Thom.

D. Thom.
Scotus.
Durand.
Scotus.

Iob. 19.

Palac.

Basil.
Hieron.

Athanas.

In generali resurrectione futura sexuum distinctio.

Tert. ul.
Hieronymus.
August.

Civitate

Orig.
Prateol.
Castr.
Six. Senen.

Idemius
accidentium
specificum ad
resurrectionem
necessaria
via.

Em. 24.
Concil. Tol.

1. Cor. 15.

Restitutio
eorundem
numero accidentium

Ephes. 4.

Luc. 20.
Beda
Chrysost.
Euthym.

D. Thom.

Ciuit. c. 17. ubi refert, quosdam dixisse resurrecturos omnes in sexu virili (quem errorem aliqui tribuunt Armenis) propterea quod Paulus ad Ephes. 4. dixit. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Quorum sententiam ipse rejicit. Primo, quia distinctio sexuum non ad viciū, sed ad naturam pertinet. Et quamvis ad veterem vsum futura non sit, potest tamen deferuire ad decorem, & ut laudetur Dei sapientia, atque clementia, qui & quod non erat fecit, & liberauit à corruptione, quod fecit. Secundo, quia Christus interrogatus à Saducæis, cuius in resurrectione futura esset vxor illa, quæ septem viros habuerat, non respondit in eo statu non esse futuros viros, & feminas, sed non futuras nuptias; supponens potius futuras tunc feminas, non tamen ad vsum nuptiarum. Quod argumentum eodem modo ponderauit Beda Lucæ 20. ubi eandem sententiam docet. Indicauit etiam Chrysost. homil. 71. in Marth. & clarius Euthym. suo cap. 53. dicens. *Neque viri matrimonium contrahent, neque mulieres nuptui tradentur.* Et notat, Lucam addidisse, *Neque amplius mori poterunt. Quia nuptia propter mortem facta sunt, & loco mortuorum alij generantur, ubi autem non est mors, iam neque nuptia sunt.* Quæ verba optime confirmant, quod intendimus: caute tamen legenda sunt. Quia nuptia etiam in statu innocentia fuissent, vnde non tantum propter mortem introductæ, sed propter multiplicandos homines, donec impleteretur numerus electorum. Ex quo potest eadem proportionem ratio confici. Quia post generalem resurrectionem iam erit numerus electorum impletus: non ergo erunt nuptia necessaria. Manebit tamen sexuum distinctio propter alias causas. Terciam rationem addit D. Thom. in 4. distinct. 44. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. dicens. 3. Quia ad perfectam resurrectionem oportet, ut redeat idem numero homo secundum omnes conditiones, quas postulat talis natura non solum specifica, sed etiam individualis. Sed hanc sexuum diuersitatem postulat in primis ipsa natura specifica, cuius diuersi gradus implentur per huiusmodi varietatem. Deinde talis indiuidua natura, sicut postulat certum temperamentum, & dispositionem, ita & sexum determinatum, ergo. Vltimam rationem adiungere possumus, quia vel omnes homines resurgent vnius sexus, vel nullius. Hoc posterius dici nullo modo potest, si pro constanti supponamus illa corpora futura esse organica, & vere humana, ac integra, & non monstrosa, nec mutila. Nam si propter fictam quandam honestatis speciem, quis existimet priuanda esse corpora gloriosa sua integritate, & naturali compositione: eadem ratione dici posset, non habitura multa alia membra quæ turpitudinem præ se ferunt, aut pudorem. Si autem primum dicatur, inquiri, cur vnus sexus retinendus sit, & reijciendus alius? Nunquid propter vitandam concupiscentiam, & pudorem? Sed hoc nullius momenti est, quia in statu innocentia nullus erat pudor, neque concupiscentia inordinata, propter summam animæ rectitudinem, & naturæ integritatem: ergo multo minus est, quod in resurrectione timeatur. Dices hoc solum procedere in Sanctis, non vero in damnatis. Respondetur, primum nullum esse incommodum, quod illi pudore afficiantur. Deinde illi etiam non patientur concupiscentia motus, nam suo modo habebunt corpora, quæ ab intrinseco alterari non possint, sed solum ab igne, & aliis agentibus externis, quæ fuerint instrumenta diuinæ iustitiæ. Adde eos tanta tristitia, ac dolore afficiendos esse, ut nullus eis futurus sit voluptatis & concupiscentia locus. Vel fortasse reijciatur sexus foemineus, quia imperfectus: ut enim Aristoteles dixit, foeminae sunt ex quodam defectu naturæ. Sed neque hoc dici potest, tum quia ad perfectionem vniuersalis naturæ pertinet ipsa varietas rerum, etiam in perfectione sint inæquales. Tunc et-

A iam, quia licet sexus virilis ex suo genere perfectio sit: tamen etiam sexus foemineus est per se intentus à natura. Vnde non dicitur esse ex defectu naturæ, quia sit monstrosus, aut per accidens: sed quia in eo generatio naturalis est minus perfecta, ergo seruabitur eadem diuersitas in perfectissimo statu naturæ. Quod ergo Paulus dixit, omnes resurrecturos in virum perfectum, non propter sexum, sed propter perfectionem ætatis, & iudicij dictum est, ut Ambrosius ibi exponit. Vnde nomine viri, foeminae etiam comprehenduntur, sicut illo Psalmo. *Beatus vir, qui timet Dominum,* ut Hieronymus, & Aug. exposuerunt. Patres vero citati solum sentiunt, non esse futuram sexuum diuersitatem, quoad vsum, sed quoad substantiam.

Ex quo vltius inferre possumus, quamuis non sit simpliciter necessarium ad veram resurrectionem substantialem, ut seruetur idem sexus in eo, qui resurgit: pertinere tamen maxime ad perfectionem resurrectionis. Priorem partem probat ratio dubitandi in principio facta, & quia sine dubio posset Deus eundem hominem transmutare ab vno sexu in alium, seruata identitate numerica substantiali, ergo posset etiam suscitare eundem numero hominem in alio sexu, ergo tunc esset vera resurrectio. Posteriori vero partem probant omnia, quæ eduximus de futura resurrectione. Nam ex illis constat, hoc pertinere ad maiorem quandam identitatem eius, qui resurgit, & ad statum quasi connaturalem, qui in resurgente requiritur. Quia licet resurrectio in modo sit supernaturalis: tamen terminus eius res naturalis est (præcise loquendo de substantiali resurrectione) & ideo, ut perfecta sit, connaturalem in suo termino requirit statum.

SECTIO IV.

Vtrum resurrectio sit mutatio instantanea.

HAc in re nulla est difficultas, quod attinet ad substantialem ipsam mutationem. Non enim est dubium, quin possit fieri in instanti, & quod hic modus sit maxime proprius, & accommodatus tali mutationi. Nam si generatio substantialis sit in instanti, multo magis resurrectio. Item primi hominis productio facta est in instanti, ergo & resurrectio de se est mutatio instantanea: est enim eadem ratio. Nā in vtraque actione facta est vnio totius animæ cum corpore, per diuinam virtutem. Dico autem hunc modum esse possibilem, & magis accommodatum ex natura rei tali mutationi. Quia si Deus vellet vnire animam corpori successiue, non dubito quin de potentia absoluta id facere posset. Nam licet anima indiuisibilis sit, & tota simul necessario vniri debeat cui vnitur, tamen hoc ipso quod ex parte corporis est extensio, & diuisibilitas, potest ratione illius successiue fieri vnio, altero ex duobus modis. Primo, ut vnio in primo aliquo instanti fiat in aliqua certa, ac determinata parte corporis, & deinde successiue extendatur ad reliquas. Secundo ut in nullo primo instanti intrinseco fiat vnio animæ, cum determinata parte corporis: sed successiue, & in tempore fiat. Neuter enim modus inuoluit contradictionem, tamen posterior est aperte præter naturam rerum substantialium, præsertim viuientium: prior vero modus nec est consentaneus diuinæ virtuti, quæ quantum in se est, perfecte & efficaciter efficit actiones suas, quando ex parte illarum non est repugnancia: nec etiam est consentaneus ipsi actioni & termino eius: est enim substantialis, & ut sit perfectus, postulat certam quantitatem, in qua totus redeat.

Itaque de substantiali mutatione non est difficultas: de mutatione vero accidentali, quam necesse est substantiali coniungi, ut fabricetur, & suis organis

Mutatio
substantialis
in resurrectione
instantanea sit.

1. Cor. 15.
Hieronym.

Theodor.
Occumen.
Anselm.
Greg. Nys.

nis corpus disponatur, ut ad animam recipiendam aptum sit, dubitari potest. Nam Aug. Epist. 49. q. 1. significat totum hoc futurum esse in instanti: imo (quod difficilius est) etiam materia, ex qua componendum est corpus, variis in locis dispersa sit, eadem celeritate fore corpus fabricandum, ac si tota esset simul. Et ita exponit verba illa 1. ad Cor. 15. *In momento, in ictu oculi, &c.* Quae verba tractans etiam Hieronymus epist. 152. ad Minerium. *Non (inquit) saltem in brevi spatio, sed in atomo, & in puncto temporis, atque momento.* Et idem sentit Theod. Occumenius, Anselmus, & alij 1. ad Cor. 15. & 1. ad Thessal. 4. & Gregor. Nysen. oratione 3. de resurrect. In contrarium vero est, quia hac mutatio accidentalis videtur intrinsece petere successionem.

Quocirca in hac mutatione accidentali distinguere oportet. Nam quaedam fit solo motu locali, quae valde remote concurrunt, ut est congregatio materiae, seu cinerum in locum resurrectionis aptum: & hac successione fieri postulat, & ita fiet, quamvis brevissimo tempore. Quia vel aliter fieri non potest, vel (si quo modo potest) non oportet multiplicare miracula sine necessitate, praesertim cum Paulus qui dixit, *In momento, dixit, In ictu oculi*, quod brevissimam temporis moram significat. Alia mutatio fit sola alteratione, ut est intentio, vel temperamentum qualitatatum: & haec (si per se tantum consideretur) non est dubium, quin possit fieri in instanti, quanquam ratio resurrectionis ex se considerata, hoc non requirat. Quia licet ponamus hanc mutationem successione fieri, in termino eius fieret in instanti resurrectio. Neque hoc etiam pugnaret cum sententia Apostoli, quia posset illud tempus esse brevissimum. Nihilominus tamen, si consideremus virtutem Dei infinitam, probabile est, de facto non futuram successionem in hac mutatione praecise considerata. Quia qualitates, quae per hanc mutationem fiunt, non requirunt per se successionem in sua productione: sed solum ratione resistentiae, quam agens non potest subito superare, respectu autem infinitae potentiae Dei nulla est resistentia in contrariis qualitatibus, & ideo in hac mutatione praecise considerata, nulla est successio necessaria.

Alia vero est mutatio, quae licet alteratio sit, habet tamen quandam mutationem localem coniunctam, ut est rarefactio, & condensatio. Et de hac nihil non est dubium, quin natura sua, & seclusis aliis miraculis petat successione fieri. Quia non fit sine aliqua mutatione licet, tum ipsius corporis, quod condensatur, & rarefit: tum corporis ambientis, quod vel alteri corpori cedit, quando rarefit, & maiorem locum occupat; vel ad replendum vacuum accedit, quando aliud per condensationem ad maiorem locum contrahitur. Ex quo fit, ut ratio resurrectionis per se non requirat, ut haec mutatio in instanti fiat. Quia resurrectio non postulat plura miracula, quam sint necessaria, ut idem, quod ceciderat, resurgat. At vero hoc miraculum non est necessarium, quia licet organizatio ratione condensationis, & rarefactionis breui tempore fiat, nihilominus in termino eius resurget in instanti idem homo.

An vero de facto mutatio haec futura sit in instanti, nec ne, inter Scholasticos controuersum est. Aliqui enim affirmant, ut Scot. in 4. dist. 43. q. 5. Durand. q. 4. Palud. q. 4. Scotus q. 2. art. 3. Qui tamen inter se dissident in explicando, quomodo possit localis mutatio in instanti fieri. Durandus enim existimat id esse impossibile, & ideo conatur inquirere modum, quomodo id fiat sine loci mutatione. Sed id non assequitur, quia reuera non potest, ut Scotus satis ostendit. Neque etiam quod Paladus dicit, satisfacit, scilicet hanc mutationem fieri, ut comitantem generationem, vel corruptionem, & ideo posse fieri in instanti, ut ipse latius declarat. Non (inquam) satisfacit, quia si quod generatur est densius, vel rarius,

Fr. Suarez tom. 1.

A quam erat illud, ex quo genitum est, semper manet eadem difficultas, quomodo in instanti generari possit sine praui dispositione, quandoquidem necesse est, ut maiorem vel minorem locum occupet. Scotus ergo admittit motum localem diuina virtute fieri in instanti: & in re idem dicit Scotus, corrigit tamen modum loquendi, ut scilicet, non sit motus, sed mutatio. Alij vero Theologi negant hanc mutationem fieri in instanti, sed tempore brevissimo. Ita sentit Viguerius in Instit. cap. 21. §. 2. vers. 3. qui tamen falso nititur fundamento. Existimant enim hanc organizationem ministerio Angelorum esse faciendam, quod est sine fundamento dictum, & contra ceteros Theologos, qui solam congregationem cinerum, quae per motum localem fit, Angelis concedunt. Sed de hac re postea.

In praesenti ergo dubitatione verum existimo, posse Deum hanc organizationem facere in instanti, ut in simili quaestione dixi supra tractando de Christi conceptione, ubi explicui modum, quo intelligi potest mutatio loci in instanti, quae ibi intercedit. Est enim eadem omnino ratio in praesentia, quare non est, quod plura hac de re addamus. An vero Deus sit usus hac potestate, & facturum hoc miraculum in generali resurrectione hominum, incertum est. Nam Scriptura, quae de hoc loquuntur, interdum indicat successionem, ut Ezech. 37. interdum subitam mutationem, quae brevissimum tempus admittit. Ita etiam loquuntur Patres supra citati, & expositores omnes. Nec videtur vlla sufficiens necessitas ad multiplicanda miracula. Et ita probabilem hanc partem existimo: tamen etiam contraria potest facillime defendi. Nam cum in eo opere Deus immediate operetur sua infinita virtute, ad illius decorem, & manifestationem pertinet, ut sine vlla mora operetur. Itaque quia alias oporteret ibi fieri aliquas transmutationes substantiales medias, quod non videtur expediens. Est ergo probabile, hanc mutationem in instanti fieri. Illud tamen est certum, siue fiat in instanti, siue in tempore: tamen in quodam instanti terminari, & compleri, in quo simul fit vnio animae cum corpore. Vnde valde errant, qui cum admittant organizationem fieri in instanti, dicunt nihilominus duratione antecedere vnionem animae ad corpus. Sunt. n. haec pugnantia. Quia vel illa organizatio pertingit vsque ad vltimam dispositionem, & ita in eodem instanti inducitur forma, vel non pertingit, & ita non tota organizatio fit in instanti, cum aliquid sit illi addendum in alio tempore, vel instanti.

SECTIO V.

Utrum resurrectio sit supernaturalis mutatio, a physica generatione essentialiter distincta.

Ratio dubitandi esse potest. Quia si substantialem mutationem consideremus, nihil in ea videtur diuersum ab ea naturali actione, quae in hominis generatione anima corpori vnitur. Nam in primis terminus integer est idem: & similiter terminus formalis, quia tam anima, quam vnio animae ad corpus est eadem, seu eiusdem speciei, & naturalis omnino. Rursus vtraque actio fit in instanti, & vtraque, quatenus est vnio ad materiam, pendet ab illa, vtriusque quoque principium immediatum est Deus. Nam licet in generatione naturali agens proximum attingat dispositiones vltimas: non tamen attingit immediatam vnionem, quae est modus ipsius animae, & spiritualis, sicut illa: ergo nihil est, in quo possit vna mutatio ab alia essentialiter differre. Confirmatur, & explicatur haec ratio. Nam postquam Deus aliquem suscitauit, eadem actione continuata, ac durante conseruat illam vnionem animae, & corporis, quia illam fecit in primo instanti resurrectionis (nulla enim alia actio est necessaria, neque oportet sine causa il-

Viguer.

Organizatio in resurrectione, an debet in instanti fieri.

Ezech. 37.

Scotus.
Durand.
Palud.
Scotus.

R r

148

las multiplicare, sed illa actio, qua conseruat vnionem, est eiusdem rationis, cum ea qua conseruat quemlibet alium hominem, & vnionem eius animæ ad corpus in generatione factam, quia homo suscitatus (cæteris paribus) tam naturali modo existit, & conseruatur, sicut homo genitus, ergo etiam illa actio, qua homo resurgit, est eiusdem rationis cum illa, qua primo generatur. Et hæ rationes procedunt de substantiali actione, & mutatione. Tertio tamen possumus eodem modo argumentari de immutatione accidentali, quæ est ad disponendum, & organizandum corpus. Nam si sit in tempore, ad summum differet in velocitate, & in agente (quæ differentia est accidentalis, vel extrinseca) in reliquis autem omnino conueniunt, scilicet in termino, in subiecto, & in educatione de potestate illius. Si autem mutatio illa fiat in instanti, ad summum different tantum mutatio instantanea, & successiua, quam differentiam multi arbitrantur esse accidentalem, quando terminus est omnino idem, habens in se aliquam atitudinem. Et licet in hoc admittamus essentialiter diuersitatem, non erit maior, quam sit inter calefactionem factam in instanti, vel in tempore, quæ nihil videtur referre, cum inter actiones naturales possit hæc differentia reperiri.

In contrarium vero est, quia resurrectio (vt dicemus) est actio omnino supernaturalis, ergo non potest esse eiusdem rationis cum actione naturali, qualis est prima generatio, seu vnio animæ & corporis.

De hac re nihil inuenio ab Scholasticis dictum: triplex tamen potest excogitari dicendi modus. Quos vt explicemus prius distinguere possumus rationem actionis, prout dicit ordinem ad causam efficietam, seu actuum influxum illius, & rationem passionis, prout tantum dicit ipsum vnionem in fieri, quatenus transmutat subiectum in ordine ad tale terminum: hæc namque duæ rationes formales diuersæ videri possunt, & intelligi potest variari vna, etiam si alia non varietur. Vt v.g. si Deus se solo producat gratiam in anima, vel per Sacramentum corporeum, immutatio passiva animæ eiusdem rationis videtur, quia ex parte animæ idem est modus receptionis, & ex parte etiam gratiæ idem modus vnionis, tam in fieri passiuo, quam in facto esse. At vero actiones, quibus gratia illis modis producit, distinctæ rationis sunt. Tum quia vna sit modo magis miraculoso, quam alia. Tum etiam, quia vna pendet essentialiter ab instrumento corporeo, à quo non pendet alia. Ad quam doctrinam confirmandam confert quod D. Thom. 1. 2. questione 1. articulo 3. & aliis locis docuit, actionem, vt actionem specificari à principio agendi, quod proprie intellectum de principio agendi non materialiter sumpto, sed formaliter quatenus virtutem habet ad operandum, verum est. Ex hoc principio intelligitur posse respectu eiusdem effectus variari actiones, etiam si modus passionis seu receptionis idem sit.

Hoc ergo supposito, primus dicendi modus est, substantialem mutationem resurrectionis, quatenus dicit passiuam receptionem ex parte corporis, esse eiusdem rationis cum mutatione substantiali generationis, propter rationes primo loco factas: nihilominus tamen actionem, per quam fit à Deo hæc mutatio in resurrectione, esse diuersam ab ea, qua fit hominis generatio, propter rationem in contrarium factam, & alias, quas statim addemus. Sed hic modus dicendi difficultatem patitur: tum in explicando, quomodo actio illa sit alterius rationis. Tum etiam in assignando differentiam inter actionem, & passionem quoad hoc. Priorem partem explicabimus statim in secunda sententia: posterior declaratur. Nam cum dicitur, mutationem passiuam esse eiusdem rationis, inquiri, quid intelligatur nomine mutationis passivæ. Nam vel intelligitur acquisitio noui modi vnionis, qui fit in materia, quando animæ coniungitur. Et hoc non, quia si hic modus con-

sideretur in facto esse, naturalis quidem est: tamen etiam modus vnionis, qui fit in anima, est naturalis. Si autem consideretur in fieri, etiam in illo potest considerari ratio actionis, sicut consideratur in vnione ipsius animæ, ergo si actio, qua fit vnio ex parte animæ, est supernaturalis, etiam actio, qua fit vnio ex parte materiæ, erit supernaturalis: & è contrario vterque modus potest considerari per modum passionis, vterque erit vel naturalis, vel supernaturalis. Non enim est maior ratio de vno, quam de alio: igitur non potest in hoc sensu accommodari dicta distinctio. Secundo igitur nomine passionis immutationis potest intelligi ipsa vnio animæ, quatenus de nouo afficit immutatam materiam, seu, tota illa vnio, quæ de nouo fit non vt est ab agente sed vt afficit subiectum. Et in hoc sensu impugnat prædicta sententia primò. Quia passio hoc modo explicata non differt ex natura rei ab actione, sed tantum ratione. Ipsa enim noua actio in passio recepta, est passio, & immutatio eius, & via, qua ad nouum terminum tendit, seu transmutatur. Quæ habitudines mente quidè distinguuntur: in re autem non dicunt modos distinctos. Nulla est, n. necessitas, vel ratio huiusmodi distinctionis, ergo non potest actio esse alterius ordinis supernaturalis, quin passio ad eundem ordinem pertineat, sola enim rationis distinctio non sufficit eas in diuersis ordinibus constituere. Secundo, quia etiam si admitteremus distinctionem ex natura rei inter illas: nulla tamen est ratio ob quam vna sit censenda supernaturalis, & distincta speciei, & non altera. Quia si actio est supernaturalis, oportet, vt respiciat Deum vt principium efficiens supernaturale: ergo cum potentia actiue respondeat potentia passiuæ proportionata, etiam passio respiciet materiam non secundum potentiam naturalem, sed obedientialem: ergo similiter ratio passionis erit diuersa.

Secundus dicendi modus esse potest, resurrectionem absolute esse mutationem specie diuersam ab hominis generatione. Qui ita potest explicari. Prima, si teneamus ultimam dispositionem, quæ in generatione naturali ordine naturæ antecedit introductionem animæ, esse principium efficiens illam vnionem tantum instrumentum generantis. Hoc enim posito facile est actiones distinguere, quia actio quæ fit in generatione hominis essentialiter pedit ab his principiis & instrumentis per quæ naturaliter fit: & fortasse etiam pender ab actuali influxu vteri materni: at vero actio quæ fit in resurrectione, pender à solo Deo operante præter causas naturales & supra totum ordinem earum. Secundo, et si dicam⁹ dispositiones materiæ non esse instrumenta efficientia vnionem, sed materialiter tantum concurrere, & solum Deum esse immediatum principium efficiens tam generationem quam resurrectionem, nihilominus in ipso Deo possumus distinguere, duplicem rationem agendi, alteram qua consideratur vt principium naturæ, operans per virtutem, influxumque naturæ debitum: alteram qua est operans supra totum naturæ debitum. Et iuxta has duas rationes distinguuntur actiones, quæ manant à Deo, vno vel altero modo operante. Actio enim Dei quæ in naturali hominis productione interuenit, est iuxta naturæ debitum: & ita est à Deo præcisè vt principio naturæ accommodato: actio verò resurrectionis à Deo vt operante supra totum ordinem naturæ. Ex diuersa autem actione sequitur diuersa passio propter rationes factas contra primum modum.

Sed neque hic modus mihi satis facit: nam in primis supponendum est et resurrectionem, vt dicit substantialem vnionem, fieri in materia disposita, atque adeo ibi dispositionem ultimam ordine naturæ antecedere introductionem anime: nam eadem est ratio quoad hoc de resurrectione, & de quacunque alia hominis productione: quia semper anima vnitur eomodo quo eius natura exigit: exigit autem vt vnatur subiecto disposito. Hinc ergo fit non esse necessarium

has

has actiones distinguere ex parte dispositionum, nam eo modo quo concurrunt in prima productione, poterunt concurrere in secunda, nisi aliunde sit specialis repugnantia, quæ assignari non potest. Solum ergo poterit esse differentia in modo efficiendi ipsas dispositiones, quæ differentia accidentaria est, & valde remota respectu ipsius actionis substantialis, & in se considerata, fortasse non est essentialis, ut argumentabamur in principio huius dubitationis. Deinde illa duplex ratio efficiendi in Deo in præsentem solum videtur pertinere ad quandam extrinsecam denominationem, non ad Physicam rerum distinctionem, quia quod concursus sit debitus, vel non debitus, non sufficit ad diversitatem Physicam si alias non sit distinctio in termino, vel in modo agendi: sicut in rebus naturalibus motus violentus & naturalis, si ad eundem terminum tendant, non differunt specie intrinseca, sed denominatione: quia unus est consentaneus naturæ, alter vero non. Et similiter in materia de gratia propositio alicuius obiecti, & inspiratio aliqua, vocatur donum gratiæ, & supernaturale, quando datur præter naturæ debitum & ordinem, quamvis ipsa motio in se sit naturalis: ergo idem erit in præsentem. Quod præterea ita declaro; Cum Deus per resurrectionem infundit animam corpori, quamvis operetur in materia ultra debitum naturale, non tamen ultra naturalem capacitatem materiæ: quia reuera ibi materia concurret per naturalem potentiam passivam qua est capax animæ, hæc enim semper est eadem & immutabilis, siue anima prius fuerit in anima, siue non: ergo etiam tunc Deus operatur ut principium naturæ quoad actionem quam efficit, quamvis quoad debitum liberalius operetur, quam natura posset. Sicut si Deus illuminaret hunc aerem sine sole, vel alio luminoso, aliquid quidem faceret ultra naturæ debitum, tamen id quod faceret eiusdem rationis esset cum alio lumine & illuminatione naturali. Quin potius addo ulterius etiam sub hac ratione debiti nihil deesse substantiali vnioni, quæ fit in resurrectione, secundum se considerata, sed tantum ratione dispositionum. Ille enim modus organizationis & dispositionis, qui fit in resurrectione, est quidem præter totius naturæ debitum, tamen positus illis dispositionibus, ratione earum potest dici debita talis animæ vnio, quia oportet dispositiones tales esse, quæ talem animam requirant: nam futura est inter eas naturalis connexio, ergo ex nullo capite intelligi satis potest, quod hæc actio quæ in resurrectione interuenit, sit alterius rationis aut ordinis. Confirmatur tandem: nam si Deus annihilaret angelum, & iterum eum producat, hæc secunda productio, non erit specie distincta à prima, sed essentialiter erit creatio. Et similiter, si Deus, quando peccatorem qui à priori gratia exciderat, iterum sanctificat, eandem numero gratiam quam prius habuerat, illi restituat, illa actio non erit specie diuersa à priori gratiæ productione, ergo similiter in præsentem.

Tertius ergo dicendi modus est, actionem qua fit resurrectio, esse naturalem quoad substantiam, supernaturalem tantum quoad modum, & ideo non esse diuersam essentialiter à prima hominis productione naturali, sed tantum differre accidentaliter in modo organizandi, & disponendi corpus. Hæc sententia aperte colligitur ex Scoto, in 4. dist. 43. q. 3. Marfil. q. ult. art. 1. Henric. quodlib. 11. qu. 4. qui existimat facta sufficienti corporis dispositione non esse necessariam nouam actionem intrinseci agentis, ut anima corpori iterum vnietur, sed solum prærequiri ut fiat intime præfens corpori: nam statim naturali impetu & causalitate vnietur ipsa corpori etiam ab intrinseco non amplius vnietur. Ipsa autem anima alibi existens, si non impediatur, potest virtute sua se facere præsentem corpori, & omnibus partibus eius. Atque ita concludit non esse necessariam

Fr. Suarez. tom. 2.

aliā actionem extrinsecam. Quæ sententia supponit etiam in hominis generatione posita vltima dispositione corporis & creatione animæ cum intima præsentia ad corpus, non requiri aliquam aliam actionem extrinsecam, sed ipsam animam statim naturaliter seipsam vnire, & quasi completi corpus. Quod si dicas illam vnionem requirere aliquod principium efficiens: responderi potest naturaliter resultare ab ipsa anima. Quæ sententia est quidem probabilis, sed nunc non potest examinari, nec est nobis necessaria. Itaque qualiscunque sit, & à quocunque sit hæc actio, quoad substantiam eiusdem rationis censetur. Et quidem si comparatio fiat inter resurrectionem & primam hominis productionem factam à solo Deo in Adamo, aut Eva, existimo hanc sententiam esse certissimam: imo credo solum esse differentiam in quadam denominatione: quia vna est productio rei quæ nunquam fuit, & simul cum prima animæ creatione. Altera vero est productio rei quæ iam iterum fuit, & non est simul cum animæ creatione, sed cum conseruatione: quæ differentia est valde extrinseca & accidentalis, ut rationes & exempla allata confirmant. Si tamen comparatio fiat ad generationem propriam, sic non est res tam certa: est tamen verisimilior, ut eadem argumenta probant. Supererat tamē ad perfectam huius rei cognitionem explicandum, in quo consistat ille supernaturalis modus resurrectionis. Nam, licet hoc ex parte tactum sit, non tamen est exacte declaratum, sed hoc fiet commodius sectione sequente.

SECTIO VI.

Utrum resurrectio sit possibilis naturaliter, vel supernaturaliter.

Explicata ratione resurrectionis facile potest hæc quæstio definiri, in qua non inquirimus an futura sit, vel aliquando facta fuerit (hoc enim posterius est tractandum, vel in speciali de resurrectione Christi, vel in generali de resurrectione hominum) sed inuestigamus quid Deus in hac parte possit efficere. In quo etiam considerandum est, posse esse sermonem de resurrectione vel præcisè, ut dicit resurrectionem & viuificationem corporis iam emortui, vel de resurrectione quæ præter vitam corporis, habet adiunctam transmutationem corporis ad vitam immortalem, impassibilem, & gloriosam. De hoc posteriori sensu nihil disputarunt Philosophi, tamen sine dubio multo magis illum modum existimarent impossibilem, quam priorem. Refert autem Tertulianus libr. de Præscriptio. hæret. cap. 7. omnes Philosophos existimasse resurrectionem impossibilem, ut carnus (inquit) resuscitatio negetur, de vna omnium Philosophorum (chola) sumitur. Vbi, licet non dicat illos existimasse esse impossibilem, hunc tamen fuisse illorum sensum, ex eorum principiis facile conijcitur. Aliqui enim illorum ideo negarunt resurrectionem, quia credebant animam vna cum corpore prorsus interire, atque idcirco negabant posse iterum ad corpus redire. Ita senserunt Epicurei, & Stoici, qui propterea Paulum resurrectionem predicantem, novorum demoniorum annunciatorem appellarunt, Act. 17. Eodem errore laborauit Plinius libro 2. Historiarum capite 7. & lib. 7. capite 55. Nec solum Philosophi, sed etiam inter Iudæos Sadducæi in hoc errore versati sunt, ut constat Matthæi 22. Marci 12. Act. 23. Quinto, vigesimo tertio, & vigesimo quinto, vbi Festo insanire visus est Paulus, eo quod resurrectionem predicaret, dices. Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitatur? & infra, Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum: & eosdem imitatus est Marcion teste Tertulliano loco supra citato.

Rr 2

Alij

Scotus.
Marfil.
Henric.

Act. 21
Plin.

Matth. 22

Marc. 12

Act. 23

U 25

Alij vero Philosophi qui posuerunt Deum agere a ex necessitate naturæ, quamvis animam humanam immortalē esse cognoscerent, existimant eam nec post separationem ad corpus redire, nec Deum posse naturalem ordinem immutare, & fortasse hoc modo sentit Aristoteles, & alij.

Ex hæreticis verò quamvis multi resurrectionem mortuorum negauerint, nō constat autem, an eam negauerint, quia putarunt impossibile: vel solum quia non est animæ humanæ necessaria, vel utilis corporis societas: sed potius solet esse impedimentum ad proprias actiones exercendas. Qua ratione solent vti hæretici, & aliis sumptis ex corporum corruptione, & mortaliter, vt videre licet in Tertull. in lib. de resurrectione carnis. In quibus omnibus indicant posterioremodum resurrectionis esse impossibile, & idēd priorem non esse conuenientem.

Secundo sententia extremē contraria referri potest eorum, qui dixerunt resurrectionem etiam naturaliter esse possibilem. Pro qua induci possunt Pythagorici, & alij. qui posuerunt transmigrationem animarum, vel eorūdem, aut similitum effectū perpetuam reuolutionem, vt Aug. refert 12. de Ciu. c. 13. Quamquam isti non de eisdem numero effectibus, sed de similibus loquuti fuerint. Propter quod illa etiam animarum transmigration (vt supra dixi) non esset vera resurrectio. Quia non erat reditus ad idem corpus, quod notauit etiam Tertul. lib. de resurrectione carnis capit. 2. Democritus vero (vt ei tribuit Plinius supra) eadem corpora & posse reuiuiscere, & iterum viatura esse existimauit, ergo verisimile est credibile hoc esse naturaliter possibile. Et ex Scholasticis Scot. in 4. d. 43. q. 3. existimat posse idem numero per naturam redire, si eadem materia iterum appropinquetur eidem agenti numero, vel specie. Vnde inquit, si contingeret eandem materiam feminis: & sanguinis menstrui, ex quā Petrus fuit conceptus, iterum sub forma feminis, & sanguinis menstrui, & in matrice eiusdem vel alterius foemina constitui, formaretur idem corpus, quod antea conceptū fuerat. De vnione autem eiusdem animæ ait à solo Deo posse fieri: consequenter tamen dicit eam fieri à Deo naturali modo, ex debito naturæ, supposita eiusdem corporis dispositione. Et in eandem sententiam inclinatur Richard. ibi art. 3. q. 1. ad 6. quatenus sentit, facta applicatione eiusdem materiæ eidem, vel simili agenti redire eundem numero effectum: D. Thom. etiam ibi art. 1. q. 3. huic fauet sententiæ, quatenus dicit resurrectionem futuram esse miraculosam, quia dispositio corporis non fit modo naturali per virtutem feminis. Nam hinc sequi videtur, si ponamus eandem materiam applicari, vt per virtutem feminis disponi possit, fieri etiam naturaliter posse, vt idem numero redeat. Et d. 44. q. 1. art. 1. q. 2. ad 1. dicit per generationem naturalem nō redire idem numero, quia non fit ex eadem materia. Non videtur aut naturaliter impossibile, vt ex eadem numero materia, ex qua vnus homo fuit conceptus, postea fiat alia conceptio. Nam Angelus posset ita applicare actiua passiuis, vt post aliquas transmutationes rediret eadem materia: idemq; ex naturali cursu, & successione rerum naturaliumque causarum fortuitōd posset accidere. Pro hac etiam sententia referuntur Marf. & Henricus: sed hi nihil dicūt præter id, quod adduximus in fine sectionis præcedentis. Fundamentum huius sententiæ non est aliud, nisi quia si materia est eadem, & agens idem, effectus erit idem 8. Metaph. c. 3 quia tunc nō habent effectus, vnde distinguantur. Quod argumentum potissimum videtur vrgere, si supponamus materiam esse principium indiuiduationis.

Tertia sententia media est, resurrectionem hominis esse possibilem diuina, non naturali virtute: aliarum vero corruptibilium rerum nō esse possibilem reditum eiusdem indiuidui corrupti, etiam per di-

uinam potentiam. Ita sentit Durand. in 4. d. 43. q. 3. & Ioan. de Neapoli, quodl. 21. c. 6. Marfil. 2. de Gen. q. vlt. Quibus videtur multū fauere D. Th. in 4. d. 44. q. 1. art. 1. q. 2. ad 1. Vbi dicit hominem posse resurgere, quia, cum post mortem maneat anima, quæ dat esse homini, nō interruptitur per mortem esse substantiale ipsius hominis, & ideo nō sequitur, vt nō possit idem numero redire propter interruptionem essendi, sicut accidit, inquit, in aliis rebus corruptis, quarum esse omnino interruptitur, forma nō remanere. Et in solad 3. ex hoc principio dicit, si in homine esset alia anima sensitiua præter rationalem, illā futuram esse corruptibilem, & id nō fore rediturā eandem numero in resurrectione. Supponit ergo, non posse eandē numero formā corruptibile redire. Præterea hac 3. p. q. 77. ar. 5. sentit fieri non posse, vt, quod in nihilum redactum est, idem numero redeat. Fundamentū huius sententiæ, quoad postremā partem (in cæteris. n. non est difficultas) potissimum esse videtur. Quia multiplicata actione, multiplicatur terminus: sed actio, qua prius res fuit producta, & conseruata, non pōt redire eadem numero, ergo nec terminus. Probatur minor, quia si actio posset redire eadem numero, et successiua posset eandem numero redire. Alia argumenta congerit Durandus parui momenti, infra verò ea attingemus.

Dico primo, resurrectionem hominis, saltem diuina virtute esse possibilem. Hæc conclusio est de fide, imo in articulis fidei contenta, & ideo in ea probanda non oportet hoc loco immorari. Quia eisdem testimoniis probanda est, quibus infra probabimus, vel resurrectionem Christi esse factam, vel aliorum hominum esse futuram. Præterea, quæ in Scriptura legimus de hominibus à Christo suscitatis, vel ab aliis Prophetis, vt Elia, & Eliseo, vel ab Apostolis, factis conuincunt contra hæreticos substantialem hominis resurrectionem esse possibilem. Quod autem sit etiam possibilis resurrectio corporis mortalis ad vitam immortalem, & gloriosam, nō pertinet, proprie ad punctum de resurrectione, sed ad supernaturalem potius beatitudinem. Illud autem probabimus inferius agentes de dotibus corporis gloriosi. Contra Philosophos verò, qui non admittunt Scripturam, agendum est ratione naturali, quæ quam vim habeat ad hanc conclusionem probandam, dicam in sequentibus.

Dico secundo, Resurrectio, vt sit de facto, solum diuinam virtute, ac supernaturaliter possibilis est. Hæc conclusio est mihi certa, quam docent omnes Theologi in 4. d. 43. & 44. vbi D. Tho. Palud. Durand. Richard. & alij. Idem D. Th. quodl. 4. art. 5. & 4. contra Gent. c. 81. Henr. quodl. 7. q. 16. Egidius theoremate 2. Et constat ex communi modo loquendi Sanctorum: Dionys. c. 6. de diuinis nominibus. Nos (inquit) totos animas dico, & sociā corpora ad perfectam vitam, & immortalem transferre pollicetur. Quod veteribus quidem præter naturam fortasse videatur: mihi vero, tibi que & veritati, & diuinum, & supra naturam, vt est, videtur, supra naturam nostram dixerim visibilem: non supra omnipotentem. Laet. lib. 7. diuinarum institutionum c. 23. Resurgens (inquit) & à Deo corporibus induentur, & infra. Quæ de anastasi Philosophi. quog. aliquid dicere conati sunt tam corrupte, quam poetæ: & infra. Nemo quærat à nobis, quemadmodum fieri possit, neque enim diuinorum operum potest reddi ratio: sed si à principio Deus hominem, nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus ab eodem restitui veterem posse, qui nouum fecit. Et Gregorius homilia 20. in Ezech. postquam multa de resurrectione disputasset, ita concludit. Diuina virtutis mysterio, quæ comprehendendi non possunt non intellectū discutienda sunt, sed fide veneranda. Quia quidquid ratione hominis comprehendendi potest, mirum iam esse non potest, sed sola est in miraculis ratio potentia faciens. Et ad eundem modum loquitur Damascen. lib. 4. de fide cap. 28. Chrysostomus hom. de resurrect. & homil. 65. in Ioannem, & homilia 2. in Actor.

Resurrectio futura diuina virtute possibile. D. Thom. Palud. Durand. Richard. Henric. Egid. Dionys. Lactantius. Greg. Papi. Damasc. Chrysost. Actor.

Tertul.

August.

Tertul.

Plin.

Scotus.

Richard.

D. Thom.

Marf. Henric.

Durand. Ioan. de Neapol. Marfil. D. Thom.

Resurrectio hominis diuina virtute possibile.

Resurrectio futura diuina virtute possibile. D. Thom. Palud. Durand. Richard. Henric. Egid. Dionys. Lactantius.

Greg. Papi.

Damasc. Chrysost. Actor.

Astor, ubi dicit longe maius esse excitare mortuos, quam scire diem iudicii. Et hom. 8. in 1. ad Thess. dicit, resurrectionem esse diuine virtutis opus. Ambros. lib. de fide resurrectionis. Ideo (inquit) resurrectio difficile creditur, quia Dei munus est. August. etiam si 13. de Trinit. Fides (inquit) totum hominem immortalem futurum, qui viui, constat ex anima, & corpore. non argumentatione humana sed diuina auctoritate promittitur. Et multa similia 22. de Ciui. c. 4. & sequentibus. Denique hoc modo veritas resurrectionis inter articulos fidei annumeratur, quia, prout a nobis creditur, nec fieri, nec naturaliter cognosci potest. Et propter eandem causam Paul. 1. ad Cor. 15. eam appellat mysterium, dicens, Ecce mysterium vobis dico. Et ad eundem modum loquitur sepe Scriptura de resurrectione, tanquam de diuino, ac supernaturali opere. Ratio autem huius veritatis reddi potest ex duplici capite. Primo ex parte termini, quia non utique resurget corpus humanum, sed immortale gloriosum, & (vt Paulus loquitur) spirituale. Constat enim huiusmodi proprietates neque esse naturales corpori humano, neque virtute alicuius naturalis agentis conferri posse. Item constat, beatitudinem animæ esse supernaturalem: sed hæc resurrectio corporum erit beatitudini animæ proportionata, erit ergo supernaturalis ex parte termini. Et hac ratione potissimum vtuntur Sancti supra citati, eamque magis explicabimus, cum agemus de dotibus corporis gloriosi. Secundo potest ratio sumi ex modo, quo fiet corporum resurrectio, & hac vtuntur D. Thomas, & fere alij Scholastici. Hic autem modus ex parte dispositionum corporis sumendus est, & potest constitui vel in celeritate resurrectionis, vel in hoc, quod sine variis transmutationibus, quæ necessariae sunt, vt homo generetur, solo Dei imperio perficietur. Quibus modis est supernaturalis, gratia fanitatis, quamuis ex parte termini id, quod fit, sit omnino naturale. Et hanc rationem tetigit Chrysostom. in supra dicta hom. 8. in 1. ad Thess. dicens, Resurrectio diuine virtutis est, cum telluri mandabit Deus vt depositum reddat, quemadmodum aliquando euocauit Lazarum, Lazare veni foras, &c.

Dico tertio, Resurrectio, etiam si præcise consideretur, vt est reparatio eiusdem numero hominis, qui antea fuerat, non potest virtute alicuius agentis naturalis fieri, sed à solo Deo. Loquor de agentibus naturalibus operantibus naturali virtute, vt causis secundis principalibus, vel vt instrumentis naturalibus earum. Nam loquendo de creatura, vt instrumento Dei supernaturaliter eleuato, non est dubium, quin eo modo possit resurrectio fieri per creaturam: tamen quia in hoc non est aliqua particularis ratio magis, quam in alijs miraculis, id omitimus, & sub diuina potentia comprehendimus. Et hoc modo conclusio posita communis est Theologorum, in 4. dist. 43. & 44. vbi D. Tho. Sot. & alij supra citati. Et confirmari potest ex difficultate, quæ semper fuit in credenda mortuorum resurrectione, non solum propter specialem modum, quo futura est, quia nec philosophi illum agnoscebant, nec semper ab Apostolis prædicabatur: sed simpliciter, & absolute propter reparationem eiusdem numero corporis, quod ceciderat. Vnde & in credenda ipsa Christi resurrectione tanta fuit discipulorum difficultas, & ignorantia, vt viderentur illis deliramenta verba, quæ de illa dicebantur. Ratio vero propria huius conclusionis sumenda est ex parte organizationis, & dispositionis corporis. Quia in primis vix fieri potest, vt eadem numero materia prima, ex qua fuit corpus hominis formatum, iterum ita applicetur, vt per causas naturales possit ex ea homo generari. Quia per continuam transmutationem, & resolutionem materia facile dissipatur, diuiditur, & commiscetur, & ideo nunquam est omnino eadem, quæ ad generationem iterum assumitur. Deinde quamuis demus

Fr. Suarez tom. 2.

A hoc interdum accidere: tamen agentia naturalia non poterunt eam disponere ad eiusdem animæ introductionem, cum eodem omnino temperamento, & organizatione. Primo quidem, quia proximum agens principale vel erit diuersum, vel aliter dispositum, quam prius fuit, cum semper sit in continua mutatione: variatio autem proximi agentis multum conducit, vt effectus varietur saltem secundum numerum. Secundo, quia licet interdum agens proximum sit idem, vel eodem modo dispositum: tamen cæli influentia, & causarum vniuersarum influxus necessario erit diuersus: & tamen sine dubio multum confert, ad temperamentum constituendum. Tertio, etiam si agens naturale esset omnino idem, eademque materia, non rediret naturaliter idem numero effectus, quia antea fuit, nec eadem dispositio, & organizatione corporis: alias calor eiusdem aquæ ab eodem igne semper esset idem numero, etiam si millies deperderetur, & acquireretur. Similiter quotidianum lumen, quod in aere fit à sole, esset quotidie idem numero. Quæ sunt incredibilia. Et contra Aristotel. 2. de generat. dicentem non redire, quod corruptum est. Et contra rationem. Quia materia, seu subiectum de se est capax ad recipiendas varias formas, seu dispositiones intra eandem speciem. Nam sicut illius potentia passiva de se est indifferens ad plures formas intra idem genus specie differentes, ita & ad plures diuersas numero intra eandem speciem. Quia non est, vnde de se magis limitetur ad vnam, quam ad aliam. Et similiter agens naturale habens virtutem ad aliquem effectum, non limitatur ad vnum indiuiduum, vt per se constat: ergo, quamuis hoc agens sæpius applicetur ad agendum in hoc subiecto, non erit determinatum ad agendum semper idem numero. Quia neque ex virtute sua, neque ex capacitate subiecti habet hæc determinationem. Quin potius ex hoc vltius colligimus, præter hoc subiectum, & hanc virtutem agendi, necessarium esse aliquid aliud, quod determinet agens ad efficiendum hunc numero effectum potius, quam alium. Hoc autem determinans non potest esse, nisi aut Deus, aut tales circumstantiæ, cum quibus agens applicatur ad agendum: aut ipsa natura talis agentis, quæ de se est determinata ad operandum tali modo, & ordine, vt tunc postulet talem actionem, & concursum, postea vero alium, & sic de reliquis. Et inter hos modos hi duo vltimi (qui fere in vnum coincidunt) verisimiliores sunt, nam hoc tribuere soli Deo non est philosophicum. Nam potius causæ secundæ determinant concursum Dei. Præterea, modus ille habet alias difficultates in Theologia, præsertim circa actus liberos, & causalitatem peccati. Ac denique, posito illo modo, ex solius Dei voluntate penderet, quod idem numero redeat, quod precipue intendimus. Si tamen verum est agentia naturalia determinari illo alio modo ad effectus singulares, inde tamen concludimus, postquam naturale agens determinatum semel fuit introducendam hanc formam in hoc subiecto, nunquam ad eandem iterum determinari, etiam si idem subiectum iterum, atque iterum illi applicetur, sed semper ad aliam atque aliam numero distinctam, quia semper circumstantiæ sunt diuersæ.

Dico quarto, per diuinam potentiam non solum hominis resurrectio, sed cuiuscunque alterius indiuidui reparatio possibilis est. Hæc est communis sententia fere omnium Theologorum in 4. dist. 43. vbi late Capr. quæst. 1. Palud. quæst. 2. & 3. & Sotus dist. 44. art. D. Thom. quodl. 4. artic. 5. & opusc. 9. cap. 72. Henr. quodl. 7. quæstion. 16. Et probatur, quia in hoc non modo non apparet implicatio contradictionis: sed neque vlla etiam difficultas. Quia diuina potentia creando aliquam rem, non fuit imminuta: ergo ex parte sua manet efficax ad illam rem iterum creando, & producendam, si ex parte eius non fuerit

R r 3 repu-

Reproductio
eiusdem effe-
ctus numero
cur impossi-
bile in na-
tura.

Arist. libr. 2.
de gener.

Ambros.
August.

1 Cor. 15.

Chrysostom.
1042. 11.

Responso
eiusdem nu-
mero homi-
ni in resur-
rectione na-
turali et
impossibile

D. Thom.
Sotus.

Cuiuscunque
indiuidui
reproductio
diuina vir-
tute possi-
bilis.
Capreol.
Paludan.
Sotus
D. Thom.
Henr.

repugnantia, seu si productione indiguerit, sed postquam illa res defuit esse, quantum est ex parte sua indiget productione, ut sit, & nulla est repugnantia in hoc, quod iterum sit, ergo neque in hoc quod iterum producat, poterit ergo iterum produci. Sed inquit Durandus, in hisce eisdem verbis inuoluit repugnantiam. Nam si iterum est, ergo bis est, ergo habet duplicem durationem, ergo duplicem existentiam, ergo sunt duæ res, & non vna, & eadem. Sed hoc est manifestum sophisma, quod idem fieri posset de homine quoad totum compositum, quod resurgit. Quamuis ergo res, quæ prius fuit iterumque producat, possit dici bis esse, non propterea dici potest habere duplicem durationem intrinsecam, ac permanentem: sed vnā, & eandem, quæ dicitur bis esse, quia non durauit continue, & sine intermissione, sed interrupta fuit, & ita in ordine ad extrinsecam durationem coexistit duabus mensuris distantibus, seu discontinuis, & ideo dicitur bis fuisse. Sed vrgeri potest ex Durando, quia hoc ipso quod interruptur actio, necesse est postea nouam actionem fieri. Tum quia non magis potest eadem numero actio redire, quam motus, aut tempus. Tum etiam quia cum mutata sit habitudo agentis ad passum, necesse est & actionem mutari; ergo & terminum eius multiplicari. Respondetur tamen, primum negando assumptum. Nam sicut Deus eadem numero actione, quali continue durante, & creat Angelum, & per multos annos illum conseruat, ita posset suspendere aliquo tempore illam actionem, & annihilare angelum, eundemque iterum postea eadem actione producere, & conseruare: nullam enim hoc inuoluit repugnantiam ex parte ipsius actionis. Si enim illa actio potest eadem durare per horam integram, quæ est repugnantia ex parte eius, quod duraret seu fiat in extremis partibus hore, & medio tempore non conseruetur? Quocirca (quidquid sit de motu, & tempore, quæ communiter censentur non posse eadem numero redire, quia successiua sunt) quamuis hætenus id non sit demonstratum non tamen est eadem ratio de actione, de qua loquimur, quæ indiuisibilis est, & permanere, ac durare multo tempore potest: & ideo, sicut semel conseruari potest in continuo tempore, ita & bis poni in esse, in tempore discontinuo. Loquor autem de tempore vero, vel imaginario: nam vtraque habitudo sufficit ad intelligendam hanc iterationem eiusdem actionis. Vnde non refert, quod mutata sit aliquo modo habitudo agentis ad passum seu effectum. Quia si loquamur de habitudine, quæ præcedit actionem quasi in actu primo, illa reuera non est necessario mutata, nisi in hoc, quod agens, & passum non intelliguntur coexistere eidem tempori vero, vel imaginario. Hinc autem non necessario fit, ut varietur actio diuina, quia Deus in actione sua non pendet à tempore, nec determinatur ad agendum in circumstantiis extrinsecis, sed à voluntate sua. Si vero sit sermo de habitudine in actu secundo, quæ sequitur actionem productiuam effectus, falsum est assumptum, & petitur principium. Quia hoc est, quod contendimus, scilicet posse effectum esse eundem: & consequenter posse habere eandem habitudinem ad suam causam. Adde denique etiam posse Deum actionibus diuersis eundem numero effectum prius producere, & postea reproducere. Quia cum actio sit via ad terminum, potest diuersis viis ad eundem terminum, tendi. Item actio est dependentia effectus ab agente, potest autem idem effectus pendere pluribus dependentiis ab agente. Sicut lumen idem potest vna actione fieri, ab vno luminoso, & postea conseruari ab alio, quod necesse est fieri per diuersam actionem, seu dependentiam. Et similiter gratia nunc fit à Deo per Sacramentum, & postea conseruatur sine Sacramento, ubi necesse est dependentiam variari. Ratio denique est, quia actio ex natura rei est aliquo mo-

do distincta ab effectu, & quidem modus eius: & ideo variari potest circa eundem effectum numero, sicut alij modi variari possunt manente eadem re, quæ illis afficitur.

Ex quibus etiam colligitur, quam sit futile aliud argumentum Durandi, qui ex eo quod naturalia agentia non possint idem numero reproducere, infert etiam Deum non posse. Quia id, in quo Deus superat naturalia agentia, scilicet quod est virtutis infinitæ, & potest agere ex nihilo, nihil (inquit) confert ad hunc effectum. Sed hoc est aperte falsum. Quia virtus infinita non solum confert, ut possit causa producere meliora, & sine dependentia à subiecto: sed etiam, ut possit agere sine dependentia à tempore, vel aliis circumstantiis. Ex quo prouenit, ut non limitetur ad agendum hic, & nunc hoc indiuiduum, sicut naturalia agentia: sed possit suo arbitrio agere, quod voluerit. Vnde potius potest hoc argumentum retorqueri contra Durandum. Quia ratio, ob quam agentia naturalia non possunt reproducere idem numero, non habet locum in Deo. Quia eius virtus non est ita limitata, nec determinata, sicut creaturarum, nulla ergo ratio est, cur hoc non possit.

Hinc tandem diluitur alia ratio Durandi non minus leuis. Quia si Deus, inquit, ageret ex necessitate naturæ, quamuis esset virtutis infinitæ, non posset idem numero reproducere. Ex hac enim hypothese impossibile quodlibet inferri potest. Quia enim supponitur Deus virtutis infinitæ posset hoc facere, quod secundum se non inuoluit repugnantiam: quia vero supponitur agere ex necessitate naturæ, non posset reproducere idem numero, quia esset determinatus ad vnum, & ideo vel semper ageret idem numero, vel nunquam. Sicut etiam si ex necessitate naturæ ageret, vel simul ageret omnia, quæ potest, vel nihil amplius posset, quam illud, ad quod, aut ex natura sua, aut ab aliquo subiecto determinaretur, vtrumque autem repugnat infinitæ virtuti. Et ita ego existimo illum modum agendi extra se ex necessitate naturæ extrinsece repugnare cum infinitate simpliciter virtutis actiue. Sed de hoc alias, hæc enim sufficiunt contra Durandum.

Ex quibus solum relinquitur fundamentum supra positum inter referendum eius sententiam. D. Thom. autem ibi citatus in postremo loco sumpto ex hac 3. p. non est intelligendus loqui de potentia absoluta, sed de ordinaria, ut ibi (Deo dante) latius dicemus. Eodem modo exponenda sunt alia loca ex 4. sentent. quamuis sint difficiliora: satis tamen est, D. Thomam aliis locis, ubi ex professo rem disputauit, diserte veritatem docuisse.

SECTIO VII.

Vtrum resurrectio hominis sit natura debita, id est, sit à Deo ut auctore naturæ.

Non satis est ostendisse actionem hanc, & potestatem ad illam esse solius Dei propriam, nisi etiam explicemus, an sit tribuenda Deo ut agenti secundum leges naturæ, an vero, ut agenti supra ordinem naturæ. Nam hinc pendet questio, an illa actio sit dicenda supernaturalis, necne? Ad hoc enim non satis est, quod à solo Deo fiat, ut patet de animæ creatione. Videtur autem hic effectus esse à Deo ut auctore conseruatore, aut gubernatore; idque duplici titulo seu ratione. Prima sumitur ex parte ipsius hominis, quia in materia corporis humani post mortem manet eadē capacitas naturalis ad habendam animam, quæ antea fuit. Hæc enim cum à materia ex natura rei non distinguatur, variari non potest, manente eadem materia. Rursus eadem ratione manet in anima separata appetitus naturalis ut corpori vniatur, teste August. libr. 12. Genes. ad liter. cap. 35. & D. Thom.

Durand.
1. Obiectio

Responsio.

2. Obiectio.

Responsio.

3. Obiectio.

Responsio.

4. Obiectio.

Responsio.

Idem numero effectus per plures actiones, seu dependentias pendere potest ab agente.

D. Thom.
August.

D. Thom. 1. p. qu. 76. artic. 1. ad 6. Quia hic appetitus non est separabilis, cum sit ipsamet rei natura, & in anima nihil aliud est, quam naturalis ipsa capacitas, seu formalis aptitudo, quam habet ad informandū corpus, quam necesse est in anima manere. Ergo ex parte vtriusque principij, passivi, & formalis, est naturaliter possibilis hæc actio. Rursus si totum cōpositum consideretur, etiam videtur deberi homini resurrectione, ut possit humana species suam naturalem beatitudinem perfecte obtinere. Non enim sola anima, sed totus homo appetit esse beatus, ut per se constat: ergo oportet, ut totus etiam homo beatitudinem consequatur. Cunctæ enim res suos ultimos fines naturales consequuntur, cur ergo solus homo carebit statu naturali, in quo naturalē beatitudinem possit obtinere. Sed non potest eam in hac vita possidere ante mortem, tum quia dum hic vivit, semper est in numeris miseris, & malis tū animæ, tum corporis obnoxius, quæ repugnant statui beatitudinis. Tum etiam, quia vera beatitudo æterna esse debet. Etenim amitti si possit, hoc ipso ita animum relinquit anxium, & sollicitum, ut non possit esse beatus. Et ideo August. 13. de Trinit. c. 8. & 20. definit non posse esse hominem beatum in corpore mortali, ergo ex providentia naturali debetur homini post mortem resurrectio, ut possit naturaliter esse beatus. Nec satis est respondere, consequitur hominem naturalem beatitudinem in sola anima; quia non est homo, nec per hoc satis sit appetitui totius speciei. Ac præterea ipsamet anima separata à corpore, est quodammodo in statu violento, non ergo esset in statu apto ad beatitudinem perfectam, nec est conueniens, ut perpetuo maneat in eo statu. Vnde Clemens lib. 5. constit. cap. 6. alias 8. Qui corpus (inquit) Adæ ex terra fabricatus est, idem & Adæ corpus, & ceterorum post dissolutionem reurgere faciet, quod hoc natura hominum rationis participi debeatur, vivere scilicet in sempiternum.

Secunda causa seu ratio dubitandi sumitur ex divina providentia. Quia non sola anima est, quæ in hac vita bene, aut male de Deo meretur, ergo ad providentiam Dei ex natura rei spectat, ut non sola anima præmium vel penam recipiat. Constat autem vel ipsa experientia, homines dum hic vivunt, non accipere vel bonorum operum præmia, vel malorum vindictam: ergo ad Dei providentiam pertinet hominem iterum suscitare, ut totus vel puniatur, vel beetur. Quia ratione ad persuadendam resurrectionem venit utrumque sancti Chrysost. hom. 65. in Ioan. Ego (inquit) aliud dicam ab humana rationibus: alij malitiam, alij virtutem sectantur: sed malitia sectatorum multi felicitate in ultimam pervenerunt, sanctitatem autem contra: quomodo ergo pro meritis unusquisque accipiet? scilicet, si futura non est resurrectio? Et eandem rationem repetit sæpe Chrysost. in serm. de resurrectione. Oprime Theodo. lib. 5. divinum Decret. c. de Iudicio, & latè Cyril. Ierosol. cat. 17. Et Damasc. 1. 4. c. 26. hac ratione nixus ita concludit. Si non est resurrectio, non est Deus, nec providentia. Tertull. vero, lib. de resurrectione carnis c. 14. inter alia multa, quæ de hac ratione scribit, sic inquit. Hæc erit tota causa, imo necessitas resurrectionis congruentissima, scilicet Deo destinatio iudicij, & c. similia repetit sæpe in illo lib. c. 33. 34. 40. & sequentibus. & lib. de patientia, c. 11. Similiter Gregor. Nyl. orat. 3. de resurrectione, ex hac ratione infert. Si non est resurrectio, non est iudicium. Ex his ergo omnibus videtur concludi resurrectionis opus ad naturalem Dei providentiam pertinere: atq; ita licet à solo Deo fieri possit: tamen per se, ac præcisè sumptum posse inter naturalia opera computari, sicut animæ creationem.

Hæc sententia videri potest non omnino improbabilis, & accommodata ad explicandam providentiam, quam Deus habiturus esset erga homines, si eos in puris naturalibus sine ordine ad supernatu-

ralem beatitudinem creasset.

Nihilominus tamen dicendum existimo, resurrectionem quacunque ratione consideratam non esse naturæ debitam sola providentia naturali, atq; adeò simpliciter dicendam esse supernaturalem, non vero naturalem, nisi secundum quid. Ita loquitur D. Thom. in 4. d. 43. art. 1. quæst. 3. & Sot. latè. q. 1. art. 2. & alii communiter: estq; magis consentaneum locutionibus Scripturæ, & Sanctorum loquentium de resurrectione, tanquam de re omnino supernaturali: non tantum propter gloriam corporis resurgentium, quam reprobi non habebunt: & tamē in eis resurrectio censetur supernaturalis propter solam reparationem, & vivificationem corporis iam defuncti. Quod si dicatur supernaturalis propter modum scilicet quia fit solo Dei imperio absque alijs naturalibus transmutationibus, ex hoc ipso concluditur, quod intendimus, quoniam resurrectio non est nata fieri alio modo, cum per causas secundas fieri nequeat. Præterea hoc explicatur ex differentia inter animæ creationem, & resurrectionem. Ad primam enim unionem animæ, & corporis possunt agentia naturalia disponere materiā, dispositione ex natura sua postulante talem formam, quocirca pertinet ad naturalem providentiam, & concursum debitum, ut Deus illam infundat: at vero in ordine ad iteratā unionē, quæ in resurrectione fit, nihil possunt cause naturales efficere, nec materiā ita disponere, ut possit illius animæ unionem: ergo non potest illa resurrectio dici simpliciter naturalis. Tertiò, si resurrectio est naturaliter debita, vel est hoc intelligendum de debito (ut ita dicam) physico, vel morali: neutrum dici potest. Nam debitum physicum appellari potest id, quod debetur causis naturalibus ratione physice virtutis, quam habent ad causandū. Sed hoc modo non est debita resurrectio. Quia si consideremus causam materiale, licet in illa maneat capacitas eiusdem formæ: tamen illa est valde remota: Deus autem ut gubernator naturæ non tenetur explere omnem capacitatem remotam materiæ, sed solum quatenus per agentia naturalia potest ad proximam dispositionem reduci. Alioqui deberet Deus varias formas in infinitum in materiam inducere, quia omnium est capax secundum illam remotam capacitatem. Et ideo hæc capacitas materiæ ad formam prius habitam congrue vocari solet obedientialis potius quam naturalis. Quia iam non est in statu, in quo possit per agentia naturalia ad proximam capacitatem reduci. Atq; idem fere est, si consideretur aptitudo ipsius animæ, quæ est causa formalis. Quia etiam non tenetur Deus explere omnem appetitum naturæ, seu formæ, nec efficere unionem eius ad subiectum, nisi supposita proxima capacitate subiecti: hæc vero non tenetur per se solus ipse efficere, sed servato ordine causarum naturalium. Denique ex parte etiam causæ efficientis, nulla est, cui propter physicam virtutem hæc actio, seu concursus ad illam debeatur: ergo nullo titulo est debita naturaliter resurrectio debito physico. Debitum autem morale dici potest, quod debetur ratione finis, v. g. propter obtinendam beatitudinem: vel ratione iustitiæ distributiæ, seu convenientis gubernationis uniuersi in ordine ad mores hominum. Sed hoc etiam debitum nulla sufficienti ratione ostenditur. Nam in primis satis est, ut homo possit esse beatus tanquam homo, ut Aristot. dixit. 1. & 10. Eth. & ideo non oportet, ut naturaliter possit habere beatitudinem carentem omni defectu, ac miseria, aut perpetuā absolute & simpliciter, sed humano modo. Homo enim non appetit esse beatus, nisi quandiu est: ad beatitudinem ergo naturalem hominis satis est, quod durare possit, quādiu existit homo. Quia ergo homo natura sua corruptibilis est, ideo beatitudo etiā, quæ naturaliter conferri potest homini, ut est integrum indiuiduū speciei

Rr 4

humana.

Resurrectio
rei superna-
turalis.

D. Thom.

Resurrectio
ex sola provi-
dentia natura-
li, natura
propter in-
debita.

Aristot.

humanæ, non est simpliciter perpetua, sed temporalis. Quia vero anima hominis est perpetua, ideo in illa perpetuo durare potest beatitudo hominis quantum ad id, quod in ea essentiale est, scilicet quantum ad cognitionem & amorem Dei naturalem. Et hoc tantum est debitum, ac consentaneum naturis rerum: quidquid vero ultra hoc additur, supernaturale est. Rursus quamvis spes resurrectionis sit convenientissimum medium ad continendos homines in officio, & optimam rationem providentiæ, & servandæ iustitiæ distributiæ contineat: tamen non propterea dicendum est, huc providentiæ modum esse simpliciter debitum naturæ. Posset enim Deus alijs modis hominē gubernare. Imo aliqui censent, & insinuat Scotus, si sola ratio naturalis spectetur, fieri potuisse, ut Deus nullum speciale iudicium ferret de factis hominum, bonis præmium, malisq; poenā tribuendo. Hoc tamen licet potuerit fieri à Deo, ut supremo Domino: non tamen censeo, talem providentiæ modum esse rebus ipsis, & naturis rationalibus consentaneum. Melius ergo dicitur, potuisse Deum statuere alium modum providentiæ, & iustitiæ intra ordinem naturæ contentum. Nam quia anima est principium proprium, ac per se actionis bonæ, aut malæ, satis est hominem in ea recipere præcipuum virtutis præmiū: corpus autem, quod tantum est organum animæ, sicut in hac tantum vita mortali esset instrumentum virtutis, ita in eadem posset recipere aliquod præmium suæ actioni proportionatum. Quod non oportet, ut consistat in divitiis temporalibus & voluptatibus, quæ non solent ad virtutis exercitationem valde esse vitales: sed in alijs bonis, vel auxilijs, quibus corpus ipsum facilius & commodius posset ad virtutis studium accendi. Nullo ergo modo debita est homini resurrectio ex sola providentia naturali. Quæ omnia confirmari possunt eleganti testimonio Cypriani, ser. de Resur. Christi Homo, qui ex caelesti, & terrena materia compactus est, vestitus extrinsecus pelle, & carnibus, tempus accepit, quod te iubente redderet terræ, quod de terra assumpserat, & ad imaterialem originem reverteretur spiritus, cuius natura dissolutionis non admittit iniuriam. Corpus putredine, & caro vermibus consumenda, secundum naturæ suæ rationem non poterat à eternitatis privilegio perfrui: & quod sibi iure non cōpetebat, à conditore nequibat exigere. Neque vlla eorum interrogatio super hoc merebatur responsum. Sed tu, optime Domine, vltro gratiam volens dare spiritui, decrevisti clementius, ut ex societate, & ciuitela, quam reddiderat anima caro, aliquid ei commodi proveniret, & quæ ei vehiculum fuerat, & particeps studiorum, in recompensatione ministerij iterum dilecto accola consociata, pudica, & pacifica rediret, nullas secum reuehens contumelias, quibus deinceps quietis interna concuteret puritatem. Sed & hoc Domine, ad cumulum beneficij addidisti, ut inter legem carnis, & spiritus nulla postmodum esset diversitas, nec post initium fœdus, vlla iterum inter eos recrefcat rebellio, sed per manum tuam reconciliatio ordinata stabili in perpetuum perseveret. Teigitur iubente terra fit caro, & expulsa de domo iterum coniungatur viro, non iam ancilla sed libera: & habitant vnius moris in domo, murmurationibus consopitis, quas olim compugnantes inter se concupiscentia concitabant.

Ex quibus vltimis verbis potest alia ratio, & vltima ad hoc idem confirmandum colligi. Quia si ex natura rei deberetur animæ separatae reditus ad corpus, vel deberet hoc fieri in corpore mortali, & corruptibili, atque eodem modo passionibus, mutationibusque subiecto, sicut nunc est: vel in corpore ab his omnibus incommodis abstracto. Si dicatur hoc secundum, aperte sequitur, illum resurrectionis modum non posse esse naturæ debitum. Qui enim fieri potest, ut corpori natura sua mortali ex naturali providentia debeatur immortalitas? Providentia enim naturalis non extenditur ad ea dona, quæ sunt præ-

ter, vel supra naturam. Alioqui dici posset statum illum, quem Adamus habuit ante peccatum, quoad eum modum immortalitatis, & impassibilitatis corporis, quem tunc habuit, & quoad perfectam subiectionem inferiorum virium animæ ad superiores, fuisse illi debitum ex providentia naturali, quod tamē est omnino falsum. Si vero dicatur primum, sequitur in primis procedendum esse in infinitum in hac resolutione mortis, & resurrectionis hominis. Quia si resurgeret mortalis, iterum moreretur, ergo, quæ ratione post primam mortem suscitatus est, excitandus esset post secundum, & ita in infinitum. Quod tanquam magnum absurdum, & ludibrium insert Aug. lib. 12. de Ciuit. cap. 13. contra eos Philosophos, qui dicebant, futurum esse in Vniuerso perpetuum earundem rerum reditum atque circuitiōnem. Deinde tale corpus non esset desiderabile, neq; animæ accommodatum, præsertim si naturalem beatitudinem esset consequuta. Impediret enim illam, ne expedit, ac sine impedimento posset Deum contemplari, & amare, redderetq; iterum subiectam doloribus, & afflictionibus huius vitæ. Quocirca licet anima pondere naturali dicatur appetere corpus, quia est naturalis forma eius: & quando est in illo naturaliter, refugiat mortem, quia non est alium statum experta, & quia simpliciter potius vellet perfectionem sui corporis acquirere, quā illo probari, iuxta illud, *Nolumus expoliari, sed superuestriri*: tamen anima semel à corpore separata, & naturaliter beata, appetitu elicito, ac recto potius, credo, eligeret manere separata, quā redire ad corpus corruptibile, & passionibus, ac ærumnis obnoxium. Quia reuera maius sibi nocumentum asserret, quam commodum. Quapropter status animæ separatae per se non potest dici simpliciter violētus. Quia licet in eo careat anima complemento alicuius appetitus naturalis: tamen proprie nulla vis ei inferitur. Sicut cæcus non dicitur esse in statu violento, sed imperfecto, sicut etiam anima esset in statu aliqua ex parte imperfecto: non tamen simpliciter violento, præsertim quia secundum appetitum elicitem, & rationale illum statum præferret alteri, quem naturaliter habere posset in corpore mortali. Et ex his satis responsum est ad rationes dubitandi superius politas.

SECTIO VIII.

D *Utrum possit naturali ratione ostendi resurrectionem esse possibilem.*

Quidam existimant nullo modo cognosci posse, quia est supernaturalis: ratio autem naturalis non habet sufficientia principia, quibus iudicet de super naturalibus mysterijs, etiam ut possibilia sunt. Propter quod diximus in principio huius materiæ, non posse ratione naturali cognosci incarnationem esse possibilem. Et ita opinatur de resurrectione Medina hic art. 2. & indicat Sot. in 4. d. 43. q. 1. ar. 3. Sed in primis non negant hi autores, posse inueniri rationes naturales valde probabiles, quæ persuadeant resurrectionem esse possibilem: neque ego audeo dicere posse hoc demonstrari ratione ita conuincente intellectum, ut à nemine, etiam proteruo, possit negari. Præsertim cum videam non defuisse Theologos fide illustratos, qui negauerint, posse Deum iterum producere rem in nihilum reductam.

Nihilominus tamen existimo, rationem factam in 4. conclusione, sect. 6. cum omnibus, quæ circa illam dicta sunt, satis esset ad conuincendum intellectum bene dispositum, esse fere physicam demonstrationem. Denique censeo fere æquali euidencia probari, posse Deum rem corruptam reparare, sicut posse aliquid ex nihilo creare, præsertim in homine, quomodo post cuius corruptionem manent partes, ex quibus possit ostendi

*Possibilitas
resurrectio-
nis ratione
naturalis
quomodo
possit ostendi
com-*

componitur. Vt enim rectè dixit Gregor. hom. 26. in Euang. Longè minus est Deo reparare, quod fuit, quam creasse, quod non fuit. Aut quid mirum si hominem ex puluere refecit, qui simul omnia ex nihilo creauit? Et hom. 20. in Ezech. Mirari (inquit) solent qualiter caro reuiuiscere possit ex puluere. Mirentur igitur altitudinem celi, molem terræ, abyssos aquarum, omnia quæ in mundo sunt, ipsos quoque angelos creatos ex nihilo. Minus est valde aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo fecisse. Ac propterea dicit idem Greg. libr. decimo quarto Moral. c. 28. Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerunt. Et Lactantius lib. 7. c. 23. Si à principio (inquit) Deus hominem nescio quo inenarrabili modo instruit, credamus ab eodem restitui veterem posse qui nouit fecit. & Aug. ser. 19. de verb. Apostoli. ubi sic inquit, Te appello quicumque, infideli animo de resurrectione dubitas, & putas non posse mortuos resuscitari: quid est amplius, ex nihilo homines facere qui uiuant, aut eos qui facti sunt & vixerunt, reparare post mortem? Vt quæ plus est facere quod nunquam fuit, quam reparare quod fuit. Quomodo ergo impossibile esse dicat ut Deus, qui hominem formauit ex nihilo, reformet: Quomodo nos suscitare non potest conuersos in puluerem, qui etiam si in nihilum rediremus, facere poterat ut essemus. sicut effecit nos esse, cum antea nunquam fuisset. Similia habet ser. 64. de verb. Domini in fin. & epl. 49. & epl. 14. 6. & sæpe alias. Et eandem rationem ex creatione sumptam expendit optime Cyril. Ieros. Catech. 4. & 18. Athenag. li. de resur. mort. Et mihi quidè vim demonstrationis habere videtur, propter ea quæ dixi in probatione quartæ conclusionis.

Quam hoc etiam modo declaro: nam opera & mysteria supernaturalia, quædam sunt in sua substantia & essentia supernaturalia: & de his verum est non posse ratione naturali sufficienter agnosci, etiã ut possibilia, præsertim quando attingunt Deum ipsū qui licet cognoscatur esse, qui tamen & quo modo sit, imperfectè cognoscitur solo naturæ lumine & huiusmodi est mysterium Incarnationis, & similia. Alia vero sunt supernaturalia quoad modum tantū quia scilicet res factæ naturales sunt, quamuis mod⁹ faciendi sit proprius Dei, vel propter virtutem in finitatem, vel propter summam independētiam, ac dominium in operando: & hæc non repugnant cognoscere ut possibilia ratione naturali. Nā inter hæc opera computari potest creatio, quæ ex modo quo fit, propria est Dei, & virtutem requirit infinitam, & tamen cognoscitur test ratione naturali. Præterea illuminare cæcum, sanitatem subito restituere sine adiumento causarum secundarum, & similia opera sunt supernaturalia hoc modo, videtur tamen euidenter lumine naturæ posse Deum hæc opera facere: quia minora sunt quam creatio: & non habent maiorem repugnantiam, nisi quod requirunt maiorem potentiam & virtutem agendi quā sit in agentibus naturalibus: est autem euidenter Deum habere huiusmodi maiorem virtutem. Denique hoc sensu tantum dicitur supernaturalis opus quod superat virtutem agendi omnium creaturarum: si ergo potest naturaliter agere cognosci Deum habere maiorem virtutem, imò & infinitam & omnipotentem, cur non poterit cognosci posse efficere aliquid supernaturalis in dicto sensu. Ergo cum resurrectio tantum sit supernaturalis in dicto sensu, poterit naturaliter cognosci ut possibile, nam hoc non repugnat ex communi ratione operis supernaturalis, ut declaratum est, neque ex speciali ratione resurrectionis, quia reuera nulla est, ut etiam ostendimus. Quin potius videtur minus difficile animam & materiam iam existentem iterum vnire, quam cæcum illuminare, aut similia opera patrare. De qua re legi potest Durandus in 4. d. 43. p. q. 1.

Neque contra hoc obstat, quod resurrectio fide credenda sit, quæ autem fide creduntur, non possunt ratione naturali ostendi. Tum quia aliquæ sunt verita-

tes fidei, quæ ratione naturali etiam demonstrantur, ut Deum esse, & esse creatorem, & animam esse immortalem, & id genus alia. Tum etiã, quia resurrectionis veritas ut pertinet ad fidei articulos non tantū continet resurrectionem esse possibilem, sed etiam esse futurā generaliter in omnibus hominibus: & hoc cū pen deat ex libera Dei prouidentia ac promissione, non potest simpliciter demonstrari, quamuis possit vehementibus coniecturis persuaderi, quas in superioribus satis terigimus, & de eis videri possunt Ambr. Ter. Athen. in libris de resur. Chryl. Greg. Nyf. Aug. & Greg. Magn. locis citatis. Basil. homil. 8. Examer. Theop. Antioch. li. 1. cont. relig. Christ. calum. D. Th. 4. cont. Gen. t. c. 49. ubi prædictas rationes euidentes appellat. Omitto resurrectionem quam credimus & speramus, multa supernaturalia complecti, ut supra dictum est, quæ non possunt, etiam ut possibilia ratione naturali inuestigare.

ARTICVLVS I.

Utrum fuerit necessarium Christum resurgere.

Primū sic proceditur. Videtur quod non fuerit necessarium Christum resurgere. Dicit enim Dam. in 4. lib. Resurrectio est, secunda eius, quod dissolutum est. & cecidit, animalis resurrectio. Scilicet Christus non cecidit per peccatum, nec corpus eius est dissolutum, ut ex supra dictis patet. Non ergo proprie conuenit sibi resurgere.

2. Præterea, quicumque resurgit, ad aliquid aliud promouetur: quia surgere est sursum moueri: sed Christi corpus mansit post mortem diuinitati unitum, & ita non potuit in aliquid aliud promoueri. Ergo non competit sibi resurgere.

3. Præterea, ea quæ circa humanitatem Christi sunt, acta ad nostram salutem ordinantur. Sed sufficiebat ad nostram salutem passio Christi, per quam sumus liberati à peccatis & culpa, ut ex supra dictis patet. Non ergo fuit necessarium quod Christus à mortuis resurgeret.

Sed contra est quod dicitur Luca 9. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis.

Respondeo dicendum quod necessarium fuit Christum resurgere propter quing. Primo quidè ad commendationem diuinitatis iustitiae: id quā conuenit exaltare eos qui seipos propter Deum humiliant: secundum illud Luc. 1. Deposuit potius de sede, & exaltauit humiles. Quia igitur Christus propter charitatem & obedientiam Dei se humiliavit vsq. ad mortem crucis, oportebat quod exaltaretur à Deo vsq. ad gloriosam resurrectionem. Vnde ex eius persona dicitur in Ps. 138. Tu cognouisti (id est approbasti) sessionem meam (id est humilitatem & passionem) & resurrectionem meam (id est glorificationem in resurrectione). Sicut Glossa exponit. Secundo ad fidei nostræ instructionem: quia per eius resurrectionem confirmata est fides nostra circa diuinitatem Christi. Quia ut dicitur 2. ad Cor. vii. Etsi crucifixus est in infirmitate, sed uiuit ex virtute Dei: & ideo 1. ad Cor. 15. dicitur. Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides nostra. Et in Ps. 29. dicitur: Quia utilitas in sanguine meo, id est in effusione sanguinis mei, dñe descendo, quasi per quosdam gradus malorum, in corruptionem? Quasi dicat, nulla. Si enim statim non resurgō, corruptiūg fuerit corpus meum, nemini annuntiabo, nullum lucrabor, ut Glossa exponit. Tercio ad subleuationem nostræ sp̄s, quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus & nos resurrekturos. Vnde dicitur 1. ad Cor. 15. Si Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Et Iob. 19. dicitur. Scio, scilicet per certitudinem fidei, quod Redemptor meus, id est Christus, uiuit, à morte resurgens: & ideo in nouissimo die de terra surrekturus sum: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Quarto ad informationem vitæ fidelium secundum illud Roman. 9. Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam

Lactant.
August.

Cyrl.
Asbanas.

Durand.

Gloriam Patris, ita & nos in nouitate vite ambulemus. Et infra, Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: ita & vos existimite vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo.

Quinto ad complementum nostra salutis: quia sicut per hoc quod mala sustinuit (humilitas est) moriendo, ut nos liberaret a malis, ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoueret ad bona, secundum illud Romanorum quarto, Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Christus, non ceciderit per peccatum, cecidit tamen per mortem: quia sicut peccatum est casus a iustitia, ita mors est casus a vita. Vnde ex persona Christi potest intelligi, quod dicitur Mich. 7. Ne latebit inimica mea super me quia cecidi, consurgam. Similiter etiam licet corpus Christi non fuerit dissolutum per incinerationem, ipsa tamen separatio animae a corpore dissolutio quaedam est.

Ad secundum dicendum, quod diuinitas erat carni Christi post mortem unita unione personali: non autem unione naturae sicut anima unitur corpori ut forma ad constituendam humanam naturam. Et ideo per hoc quod corpus eius unitum est animae, promouetur est in altiore statu naturae, non autem in altiore statu personae.

Ad tertium dicendum, quod passio Christi operata est nostram salutem, propter hoc loquendo, quantum ad remotionem malorum: resurrectio autem, quantum ad inchoationem, & exemplar bonorum.

COMMENTARIUS.

In titulo obseruandum est, necessarium, non sumi absolute pro re, vel actione, quae vel ex necessitate fit, vel ad aliquem finem est simpliciter necessaria. Cōstat enim, Christi resurrectionem & fuisse à Deo factam libere, & potuisse Christum suam resurrectionem vel differre vsque ad diem iudicii, vel omnino eam prae-termittere: & nihilominus saluare homines, & in beatitudine in sola anima regnare. Hoc enim neque contradictionem neque aliquod absurdum includit omnino repugnans Deo, ut dici possit simpliciter impossibile. Necessarium ergo hoc loco dici potest dupliciter, primo prout idem est, quod longe conuenientius, & opportunius, & hoc modo potest dici resurrectio Christi necessaria, & secundum se quia maxime decebat corpus Deo unitum viuum esse, & gloriosum: & in ordine ad finem nostrae salutis, quia ad eam exequendam erat hoc medium aptissimum. Secundo potest dici necessarium cuius oppositum sit impossibile, non quidem absolute, sed facta aliqua suppositione. Ut v. g. supposito, quod Christus prae-dixerat se resurrecturum, necessaria omnino erat eius resurrectio, quia non potuit non esse fidelis, & verax. Quo sensu recte dixit Paul. 1. ad Cor. 15. Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra. Similiter supposito Christum de iustitia meruisse suam resurrectionem, necessarium simpliciter erat ipsum resurgere. Quia non potest Deus premium de iustitia debicum negare, cum hac iustitia eius promissio nem supponat. D. Thom. ergo in hoc titulo videtur necessarium sumere utroque modo, seu abstracte, ut ex rationibus eius colligitur.

Respondet ergo resurrectionem Christi fuisse necessariam. Quam assertionem quinque rationibus confirmat. Prima fundatur in meritis Christi, & in ordine diuinæ iustitiae. Quae fulciri potest verbis eiusdem Christi Luc. 23. Nonne oportuit patri Christi, & ita intrare in gloriam suam: & verbis Pauli ad Philip. 2. Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum. Quem locum de exaltatione resurrectionis late exposuit Athanas. orat. 2. contra Arrianos, quanquam eo loco indicet, eam exaltationem non fuisse mercedem

meritorum, sed debitam ratione diuinitatis corpori unitae. At vero, licet hic posterior titulus verus sit, non tamen est prior excludendus, qui magis est consentaneus verbis Apostoli, ut latius tractatum est superiori tomo disp. 40. sect. 3. Potest autem hæc ratio locupletari ex eodem Athanas. lib. de Incarn. Verbi, eiusque corporali aduentu, dicente, quia Christus morte sua mortem extinxerat, ideo resurgere debuisset. Profligata enim morte quid reliquum erat, nisi ut in tropheum deuicta mortis resurgeret? Et hæc ratio, secluso pacto, & promissione Dei, probat per se fuisse valde conueniens, ac proportionatum hoc premium illi merito. posita verò promissione, probat fuisse simpliciter necessarium.

Secunda ratio sumitur ex utilitate, & necessitate ad confirmandam fidem. Quae dupliciter potest exponi. Primo, quia supposita predicatione Christi erat simpliciter necessarium ad veritatem fidei, Christum implere quod promiserat. Et hoc sensu (ut dicebam) intelligendum censeo locum Pauli, quem D. Thom. hic citat. Si Christus non resurrexit, inanis est predicationis nostra, inanis est & fides vestra. Absolute enim, etiam si Christus non surrexisset, posset esse in nobis vera fides, & ad salutem utilis: tamen suppositis ijs, quae fides Christi docet, si Christus non surrexisset inanis esset talis fides, esset enim falsa. Et ita explicuit Paulus subdicens. Inuenimur autem & falsi testes Dei. Et eodem modo intelligendum est, quod postea subiungit, si Christus non resurrexit, vna est fides vestra. Adhuc enim estis in peccatis vestris. Quia nimirum fides falsa non posset esse vere sanctitatis initium, ac fundamentum. Secundo modo potest hæc ratio intelligi nulla suppositione facta, & hoc modo probat, fuisse vtilissimum ad persuadendam fidem, & ut homines possent facilius illam amplecti, Christum resurgere, simulque probat oportuisse, ut statim ante Evangelij predicationem resurgeret. Et hunc sensum confirmant optime alia duo scripturæ testimonia, quae D. Thom. hic adducit. Primum est illud. 2. ad Cor. ultimo. Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei: Alterum est ex Psal. 29. Quae utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? id est, si in ea maneam & non resurgam, neminem enim lucrabor passionem meam. Et hoc etiam sensu recte intelligitur, quod ait Paul. ad Rom. 4. Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram.

Nam licet D. Tho. infra q. 56. ar. 2. aliter hunc locum exponat de causa instrumentali & exemplari: optime tamen etiam exponitur de causa (vera dicam) obiectiua, & motiua. Christus enim per passionem suam sufficiens destruxit peccatum: tamen, ut nos iustificaremur, & efficaciter nobis remitteretur peccatum, oportebat passionem Christi nobis applicari per fidem viuam. Resurrexit ergo propter iustificationem nostram, id est, ut fides nostra confirmaretur, & sic efficaciter iustificaremur, ut recte exposuit Adamus in illum locum. Et sumitur ex commentarijs Hieronymi. Qui morte sua nostra peccata aboleuit, necessario resurgens apparuit, ut iustitiam credentium confirmaret. Et Anselm. Resurrexit (inquit) propter iustificationem, id est, ut nos iustificando suscitaret a morte animae, quatenus iuste viveremus, quod aliter non poteramus. Et Ambrosius quamuis aliam expositionem indicet, tamen huic fauet, cum inquit. Vt ad cumulum nobis iustificationis proficeret, resurgens præcipui sui auctoritatem tribuit, ut eorum emulos nos hac fiducia faceret, per quam iustificemur, meritis vos angereamus, per quam gloriam adepti clari appareamus regno Dei. Chrysost. etiam ser. 9. in Epist. ad Rom. subobscure quidem, tamen eleganter confirmat tum hanc expositionem, tum rationem D. Thom. dum inquit, in resurrectione ostensum esse, Christum non propter sua peccata, sed propter nostra mortuum fuisse. Quomodo enim surrexisset, si peccator fuisset? Si vero peccator non fuit, propter alios crucifixus est. Erat per resurrectionem confirmatur fides

Testimonij
Pauli 1. Cor.
15.
Expositio.

2. Cor. 13.
Psal. 29.

Rom. 4.
D. Thom.

Resurrectio
Christi effici-
tissimum
fidei motiui
& incitamenti.
Adam.
Hieron.

Anselm.

Ambros.

Chrysost.

1. Cor. 15.

Resurrectio
Christi ne-
cessaria quo-
modo.
Luc. 23.
Philip. 2.

fides redemptionis nostræ, ut per eam iustitiam assequi possimus, ut postea Chrysostomus fusius declarat.

Rom. I.

Potest præterea hæc D. Thomæ ratio confirmari ex loco Pauli ad Roman. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum, iuxta electionem, & expositionem Græcorum, Qui declaratus est, quam in priori tom. dis. 50. sect. 2. satis probabilem esse ostendimus. In resurrectione enim Christi manifestata est vera eius diuinitas, atque ita plurimum fides eius confirmata est. Et ob hanc causam speciale signum suæ diuinitatis, & veritatis obtulit Christus Iudæis dicens. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ioann. 2. loquens de templo corporis sui, ut Euangelista explicuit, & Matth. 12. Iudæis*

Ioan. I.
Matth. 12.

petentibus signum, ipse respondit. *Generatio praua, & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophætæ. Fuit autem resurrectio signum diuinitatis: tum quia Christus seipsum suscitauit, iuxta illud. Et in tribus diebus excitabo illud. Tum etiā, quia ipse Christus, sicut dicebat se esse Deum, ita prædixerat se resurrecturum, vnde sua resurrectione in*

Pet. Chrys.

utroq; veracem se esse probauit. Item quia (ut eleganter dixit Petrus Chrysolog. serm. 75.) *qui ante suam mortem prædixerat suam resurrectionem, vti que sicut scire potuit, potuit & cauere: sed quia vincere potuit, declinare contempsit, quia resurrectionis gloria sepeliuit morientis iniuriam. Et hinc etiam declaratur optimè D. Thomæ ratio. Nam si Christus mortuus in cruce, non resurrexisset, erubescerent homines credere in hominem crucifixum, qui Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia. Resurrectio igitur & pudorem, & metum credentibus abstulit, qui resurrectionis gloria sepeliuit morientis iniuriam. Denique, euentus ipse veritatem huius rationis probauit. Cum enim vsque ad passionem multa miracula Christus fecisset in confirmationem veritatis, quam prædicabat, pauci crediderunt: postea vero prædicantibus discipulis resurrectionem eius, vno die multa millia hominū crediderunt in eum. Fuit ergo resurrectio efficacissimum medium ad fidem conferuandam, & persuadendam. Et ita Athanasius lib. de incarnat. Verb.*

1. Cor. I.

eiusque corporis aduent. ex his, quæ fides Christi in mundo operatur, ex gentium conuersione, Dæmonum expulsiōe, Christum resurrexisse latissimè confirmat.

Athanas.

Resurrectio
Christi spei
nostræ nutri-
mentum.
Leo Papa.
Greg. Pap.
D. Thom.
Job 19.
Ephes. 2.

Tertia ratio sumitur ex subleuatione spei nostræ. Quam optimè declarat Leo, serm. primo de resurrectione c. 4. dicens. *Et hoc inuitum factum nobis est resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit, &c. & sermone secundo. Ita dubitandum non est de consortio gloriæ, sicut dubitandum non est de communionē naturæ. Quod in sequentibus latè prosequitur: ac in fine tandem confirmat ex illo ad Philippenf. 3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformauit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Rursus Gregor. 14. Moral. capite 27. tractans eum locum, quem D. Thomas hic citat. Scio, quod Redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, ait. Sui capitis gloriam sequuntur membra. Redemptor ergo noster suscepit mortem, ne mori timeremus: ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse confidamus. Vnde & eandem mortem non plus quam triduanam esse voluit, ne si in illo amplius differretur, in nobis omni modo desperaretur. Et hoc est, quod Paul. dixit ad Ephes. secundo. Conuersiuitur, & consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu. Nam cum ipse in te vere suscitatus est, nos cum illo in spe conuiximus. Vnde Greg. Nazian. orat. 41. Hæc (inquit) cum Christo in cruce agebar: hodie simul glorificor. Hæc commoriebar, hodie simul viuificor, Hæc conspeliabar, hodie simul resurgo, & oratione 42. in principio. Hodie alius mundo tam visibili, quam inuisibili, Christus ex mortuis, simul surgite. Christus ad se se, redite. Christus ex sepulcro, peccati vinculis soluamini. Por-*

Greg. Naz.

ta inferi aperiuntur, & mors opprimitur, & vetus Adam deponitur, & nouus perscitur, si qua noua in Christo creatura renouamini. In quibus omnibus alludit Greg. ad lo-

Colos. 3.

cum Pauli ad Colosien. 2. Si conuixistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, &c. Nec dissimile est, quod inquit Athanas. sermone de passione, & cruce Domini. Necessarium est surgere saluatorem, conuixere quoque cum eo & ipsum Adamum, & omnes ex Adamo oriundos: & sicut moriente Adam, manebamus nos per eum mortui, ita quoque surgente Dominico corpore, necessum erat omnes cum eo con-

1. Cor. 15;

surgere. Hic enim intellectus est Pauli ad Corinthios scribentis. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Et in huius, ac præcedentis rationis confirmationem multa peti ex eodem Athanas. lib.

de incarnat. Verbi, & corporali eius aduentu, & Petro Chrysologo serm. septuagesimo quarto, & septuagesimo quinto, August. serm. 119. de temp. Vbi inter alia ait. In passione quid agit? Docuit quid tolleremus in resurrectione, quid egis? Docuit quid speremus. Hic opus, ibi merces: Opus in passione, merces in resurrectione.

Pet. Chrys.
August.

Atque ex his, quæ dicta sunt exposita etiam est quinta ratio D. Thomæ, quæ fere cum duabus præcedentibus coincidit, scilicet Christum resurrexisse propter nostræ salutis complementum, ut non tantum nos malis liberaret, sed etiam bonis cumulare.

Nam licet utrumque nobis moriendo meruerit, viā tamen ad id obtinendum resurgendo aperuit, exemplarque ac terminum nostræ exaltationis ostendit. Quarta vero ratio moralis est, & non indiget expositione, nec solutione argumentorum, quæ facillima sunt.

DISPUTATIO XLV.

In duas Sectiones distributa.

De Christi resurrectione, & causis eius.



X præcedenti disputatione probatum supponimus, resurrectionem Christi fuisse possibilem, & ideo solum superest inquirendum, an facta sit. Quid verò sit, non indiget noua disputatione. Quia quoad hoc non est alia ratio de Christi resurrectione, & de quauis alia, quod attinet ad vnionem animæ cum corpore sufficienter disposito. Quod verò pertinet ad vnionem hypostaticam, si aliqua in resurrectione reparata est: satis etiam est in superioribus dictum, addèdum verò aliquid erit de proprijs causis huius resurrectionis.

SECTIO I.

Vtrum Christus verè resurrexerit.

Hæretici, qui negarunt Christum esse verum hominem, aut assumpsisse verum corpus humanum, ac mortale, aut verè mortuum fuisse, necesse est, ut veram etiam resurrectionem negauerint. Præter hos autem refert Epiphanius. hæres. 28. Cherinthum asseruisse, Christum passum esse, & crucifixum, nondum vero resurrexisse, resurrectorum tamen postea in generali resurrectione. Aliter vero refert errorem Cherinthi Irenæus libr. 1. contra hæreses, cap. 24. Vbi dicit Cherinthum distinxisse Christum à Iesu, & asseruisse passionis tempore Christum à Iesu recessisse, & neque mortem obisse, neque resurrexisse: Iesum verò, & mortuum fuisse, & resurrexisse. Augustin. verò lib. de hæresib. 8. expresse dicit Cherinthum negasse Iesum resurrexisse. Porro Tertullian. lib. de carne Christi c. 24. tacitis nominibus scribit, quosdam asseruisse, adhuc est animā Christi in cælo sine carne, quos resurrectionem negasse necesse est. Ac præterea addit, alios dixisse existere carnem

Epiphanius

Irenæus

Augustinus
Tertullianus

Philast.

Psal. 18.

Philast.

August.

2 Cor. 5.

Christus re-
surrexit à
mortuis.
Sym. b. Nic.

1. Cor. 15.

Luc. 24.

Genes. 49.
Deut. 18.Genes. 39.
Proper.
Genes. 22.

carnem Christi in celo vacuum sensu. Hos errores attribuit Philastrius Pasionistis, Seleucianis, & Herodianis, qui dixerunt solam Christi animam ascendisse in celos: reliquias verò carnem suam in sole, iuxta illud, *In sole posui tabernaculum suum*. Potest præterea hic annexi error Apellis qui (vt Philastrius refert) affirmabat Christum resurrexisse, non tamen in sua, ac vera carne. Is enim, quamuis verbis fateri videretur, re tamen ipsa resurrectionem negabat. Vnde Augustinus hæresi. 23. absolute refert istum dixisse, Christum sine carne resurgentem in celum ascendisse. Solent iheretici in confirmationem sui erroris adducere illud 2. ad Corinth. 5. *Etsi cognouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus*.

Dicendum est, verè, ac proprie Christum à mortuis resurrexisse. Conclusio est de fide, & inter articulos fidei ponitur in omnibus symbolis, & in Niceno additur. *Et resurrexit tertia die secundum scripturas*. Qui modus dicendi sumptus est ex Paul. 1. ad Corinth. 15. dicente. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepistis, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas*. Nam quia hoc mysterium difficile hominibus apparebat, & eius fides firma, & stabilis erat illis maximè necessaria, ideo Apostolus, & Ecclesia scripturas proponunt, quæ verbum Dei continent, vt sciamus non humanis testimonijs, sed Dei autoritate hanc fidem niti. Significat etiam hoc mysterium fuisse in scripturis prædictum, & ita fuisse impletum, sicut fuit prænuntiatum. Nam hoc plurimum valet ad illius fidem conciliandam. Propter quod Christus, qui præcipuus testis fuit sue resurrectionis, quamuis eius autoritas sufficientissima esse posset, ad illud confirmandum, vsus nihilominus est testimonio scripturarum, vt patet Lucæ 24. *Vbi incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant*. Et infra dixit ad eos. *Hæc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.

Dices, quæ sunt hæc scripturarum oracula, in quibus à Moyse, Dauide, & alijs Prophetis Christi resurrectio prædicta fuit? Respondetur, in primis non oportere intelligere, Christum docuisse suam resurrectionem ex libris Moysi, Psalmis, & Prophetis omnibus, sed ex singulis adduxisse, quæ de ipso erant. Nam in libris Moysi non inuenitur expressa Prophetia, quæ ad literam de resurrectione Christi intelligatur. Quamuis valde indicata sit à Iacobo Gen. 49. verbis illis, *Catulus Leonis Iuda, requiescens accubasti vt Leo, quis suscitauit eum?* Quem locum notauit Cyrillus Ierosolym. catech. 14. Adduci etiam possunt verba illa Deuteronom. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabis tibi Dominus Deus*. Et infra: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, & ponam verba mea in ore eius, &c.* In quo testimonio fortasse non sine mysterio bis positum est verbum, *suscitabo*, quamuis non oporteat ad literam de resurrectione intelligi. Mediate etiam (vt ita dicam) potest ex hoc testimonio resurrectio confirmari. Nam in eo præcipimur audire verba huius Prophetæ, vt verba Dei: vnum autem ex verbis eius fuit promissio sue resurrectionis. Deinde in sensu mystico potuit ex libris Moysi Messia resurrectio confirmari. Fuit enim sine dubio multis figuris adumbrata, ac representata, vt in Ioseph, qui post duos annos tertio ineunte è carcere educitur, vt exponit Prosper de Promissionibus & prædictionibus Dei, part. 1. ca. 29. Et in Isaac, quem in fide & spe resurrectionis Abraham immolare non dubitauit, vt Pau-

lus dicit ad Hebræos vndecimo, tamen re ipsa Isaac immolatus non est. Quia resurrectio filio Dei seruata est, vt eodem lib. dicit Prosper cap. 17. Vnde Gregorius Nyssenus eandem figuram eleganter tractans orat. prima de resurrectione in principio. *In oue (inquit) mysterium mortis, in vnicò vero filio vita, quæ morte non perimebatur, demonstratur*. Cyprianus etiam libro secundo aduersus Iudæos, ca. 25. dicit Christi resurrectionem præfigurata esse à Moyse verbis illis Exod. 19. *Et dixit Dominus ad Moysen, descende, & testificare populo, & sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium, in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe in monte Synai*. Indicans in illa die tertia significatum esse tertium diem resurrectionis Christi, in quo speciali modo Deus ad homines rediit, vt nouum pactum, & legem vniuerso orbi promulgaret.

Ex Psalmis sunt plura, & clariora resurrectionis testimonia. Illud est præcipuum quod ab Apostolo Petro expositum est Act. 2. & à Paulo Act. 13. ex Psalmo 15. *Quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. De quo testimonio multa diximus supra tractantes de descensu Christi ad inferos. Præterea de hoc ipso mysterio exponit Paul. Act. 13. verba Psalmi. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*. Nam de Christi passione præmittitur in eodem Psalmo. *Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: vt Apostoli, & fideles congregati in vnum vnanimiter exposuerunt, Act. 4.* Postea verò de resurrectione subiungitur *Dominus dixit ad me, &c.* & quia tunc data est Christo omnis potestas in celo & in terra, additur. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam*. Nam de eodem Christo antea prædictum erat. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon montem sanctum eius, id est, super Ecclesiam, per Sion repretatam, cuius veluti possessione post resurrectionem suam Christus accepit*. Quæ omnia necesse est ad literam de Christo Domino intelligi. Rectè igitur etiam illa verba, *Ego hodie genui te*, de Christo homine intelliguntur. Quod etiam ex verbo illo, *Dominus dixit ad me*, Basiliius in scholijs rectè notauit. Quia filius vt Deus non appellaret patrem Dominum, sed vt homo: ergo vt sic dicitur hodie genitus: & non ratione primæ conceptionis ex matre, vt constat ex ipsius Psalmi contextu, ergo ratione resurrectionis, in qua declaratum est, quam fuerint iniquæ, & inanes Iudæorum contra Christum meditationes, & consilia. Merito autem resurrectio generatio appellatur: quia (vt supra dictum est) reuera est generatio quædam, cum sit præexistentis corporis ad vitam reuocatio. Propter quod vocatur Christus primogenitus ex mortuis ad Colof. 1. & resurrectionis tempus vocatur à Christo tempus generationis. Matth. decimonono. Atque ita exposuerunt etiam hunc Psalmum Hilar. & Theophylus Antiochenus ibi, Ambrosius lib. 3. de Sacramentis capit. primo Chrysostomus Act. 13. & Eusebius lib. 6. de demonstratione. c. 2. Solet autem hic locus exponi de generatione æterna filij Dei, vt Paulus significat ad Hebræos, 1. & sæpe Patres, Cyrillus lib. de fide ad Reginas, Athanasius. ferm. 3. contra Arianos, & in epist. de Nicena synodo, & Augustinus in enarratione eiusdem Psalmi, & in Enchirid. cap. quadragesimo nono. Alij vero Patres interdum exponunt de temporali generatione ex matre, vt Chrysostomus homil. de fide in Christum tom. 3. & Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. de fide ad Reginas, & Gregorius Nyssenus in libro de cognitione Dei, qui refertur primo tomo Bibliothecæ. Hæc tamen expositiones ita admitti possunt, vt prior, quæ maxime literalis videtur, non reiciatur.

Rursus

Rursus in huius mysterij confirmationem adduci potest illud Psal. 3. *Ego dormivi, & somnum cepi, & exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Hæc enim verba solet Ecclesia vsurpare in die resurrectionis Domini. Et ita exponunt Augustinus ibi, Iustinus dialogo contra Triphonem, & Euseb. lib. 13. de præparat. Evangelica capit. 7. quamvis hic sensus allegoricus videatur. Nam ad litteram sermo est de David, in cuius persona figuratus est Christus. Vltimo ad hoc etiam merito adduci potest Psal. 56. qui totus esse videtur de Christi passione, & resurrectione saltem in sensu mystico ab Spiritu Sancto intento. Vnde Christo accommodantur illa verba, *Exurge gloria mea, &c. & illa, Misit de celo, & liberauit me, & dedit in opprobrium conculcantes me.* Et ita exponunt ibi late Augustinus, Hilarius & alij. Addit etiam Ignatius epist. 5. verba illa Psal. 40. *Tu autem Domine, misereri mei & resuscita me, & retribuam eis:* & illa Psal. 73. *Exurge Deus, iudica causam tuam.* Quibus multa familia adduci possunt.

Tertio in Prophetis plures sunt huius mysterij prædictiones. Et in primis Paulus Actorum 13. de hoc mysterio explicat locum Isaia 55. *Feriam vobis, cum pactum sempiternum misericordias David fideles.* Quod Paulus iuxta septuaginta citat, *Sancta fidelia David.* Sed difficile est intellectu, quomodo possint hæc verba ad Christi resurrectionem aptari. Leo Castrensis in Isaia ut hoc exponat, dicit in primis, Paulum accipere plurale pro singulari numero, id est, *Sanctum David fidele:* & David ibi non significare propriè Regem David: sed Christum ex Davide ortum, & in eo representatum: atque ita Sanctum David significare corpus Domini: fidele autem idem esse, quod stabile, incorruptibile, & æternum. Cõtra quam expositionem nihil oportet obijcere, quoniam ipsa per sese statim displicet, cum omnia verba ad improprias significationes detorqueat, & plura eorum sine villo fundamento. Præterea, quia si hæc verba in Isaia considerentur, nec ipsi, nec contextui potest accommodari talis expositio. Prius ergo supponenda est literalis intelligentia illorum verborum apud Isaia. Est enim ibi expressa promissio noui testamenti, in quo implenda erant omnes promissiones factæ David, siue per David intelligamus Regem David, cui præcipue facta est promissio Messia, & æterni regni eius, siue intelligamus Christum, ut intelligit Hieronymus. Tum quia verba sequentia hoc requirunt, *Eccle testem populi dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus:* tum etiam quia hæc phrasis est vñtata in scriptura Psal. 88. *Inueni David seruum meum oleo sancto meo unxi eum.* De quo postea subditur, *& ego primogenitum ponam illum, &c.* quod propriè in Christum conuenit. De quo etiam dicitur Ezechiel. 34. *Suscitabo vobis pastorem vnum seruum meum David. Sancta ergo fidelia David* appellantur ab Isaia sancta & diuinæ promissiones Christo, seu de Christo factæ, & eadem dicuntur fideles misericordias, iuxta vulgatam lectionem Isaia: Paulus ergo ab hoc literalis sensu non recedit: neque intendit dicere in illis verbis, *Dabo vobis sancta David fidelia*, in particulari esse promissam resurrectionem, aut corporis Christi incorruptionem (hoc enim nec Isaia intendit, nec habet fundamentum, ut dixi) sed, cum dixisset, Christum suscitatum fuisse à Patre, iuxta illud, *Ego hodie genui te*, subdit. *Quod autem suscitauit eum à mortuiam non reuersurum in corruptionem; ita dixit, &c.* id est, ita ex scripturis colligitur, quia sanctæ promissiones à Deo factæ, in Christo erant implenda. Vnum autem ex illis promissis fuit. *Non dabo Sanctum tuum videre corruptionem.* Itaque non affert illa verba Isaia, ut in generali assumat promissiones de Christo factas fuisse fideles, & suum exitum habituras. Cui expositioni adiungi etiam potest, cum Isaia

Fr. Suarez. tom. 2.

A inquit, *Misericordias David fideles*, alludere ad promissiones factas Psalmo. 88. qui incipit, *Misericordias Domini in æternum cantabo*, ut Hieronymus, & alij interpretes adnotarunt, tum propter verborum similitudinem: utrobique enim fit mentio diuini pacti, misericordias, ac fidelitatis, tum etiam quia in illo continentur præcipue de Messia promissiones. *D. Iphosus testamentum electi mei: Iuravi David seruo meo. Vique in æternum præparabo semen tuum, &c.* In illis autem promissionibus, licet non expresse, implicite tamen continetur resurrectionis promissio. Nam dicitur Christus duraturus in æternum, & thronus eius, *si ui dies celi.* Paulus ergo, ut probet resurrectionem, adducit locum Isaia, ex quo generaliter habetur, has promissiones fuisse implendas, inter quas (ut dixi) resurrectio continebatur: tamen, quia in hoc loco solum continebatur implicite, addit Paulus aliud testimonium, in quo specialis & propria promissio resurrectionis Christi continetur.

Est aliud testimonium Isaia cap. 25. quod ad hanc veritatem firmandum afferri potest, ubi de Christo dicitur. *Præcipit mors in sempiternum.* Ad quem locum alluisse videtur Paulus 1. ad Corinth. 15. cum dixit scriptum esse. *Absorpta est mors in victoria.* Nam (ut Diuus Thomas ibi notauit) testimonium illud secundum ea verba non inuenitur in veteri testamento, sed ex hoc loco videtur desumptum. Nam sensus idem est. Absorbere enim mortem idem est, quod eam destruere, & profligare: hoc autem ipsum est, illam præcipitare: & in Hebræo ad litteram est verbum *absorbendi*, pro quo Septuaginta posuerunt verbum *deuorandi*. Obseruandum autem est in Hebræo non legi passiuè, *Absorpta est*, sed actiuè *absorpsit*, seu *deuorauit* (ut Septuaginta transtulerunt) sed vel actiuum positum est pro passiuo (quod est frequens apud Hebræos) vel non de omnium hominum morte, sed de singulari morte Christi intelligendus est hic locus. Vnde Septuaginta non simpliciter, sed cum articulo dixerunt. *Deuorauit illa mors præualens*, quia mors Christi mortem omnium absorpsit. Ex quo sensu rectè etiam sumi potuit alia propositio passiuæ, *Absorpta est mors in victoria.* Nam sensus idem est. Cum quo etiam coincidit illud Osee 13. *O mors ero mors tua.* Ex hoc ergo loco colligunt Patres Christi resurrectionem: quia cum ipse mortem destruxerit, atque deleuerit, non potuit ab ea absorberi, aut detineri: ubi ergo prædicta est victoria Christi aduersus mortem, satis etiam eius est prædicta resurrectio. Vnde Eusebius libro quarto de Demonstrat. capit. 12. postquam dixerat Christum sua morte mortem fugasse, subdit. *Hac sane ratione ipsius etiam corpus mortuum excitatum est, & multa corpora, quæ dormierant surrexerunt, ut merito ex hoc in sacris litteris dictum sit; Absorpsit mors in victoria: & Cyrill. super Isaia, exponens illa verba, Mors (inquit) præualuit contra primum parentem, & contra omnem sobolem, at in Christo vires amisit. Tertia enim die reuixit calcata morte, & factus est nobis resurrectio, abstulit lamenta, & lachrymas, abstulit opprobrium peccati. Et eundem sensum indicat Athanas. de cruce & passionis Domini, ubi cum dixisset, Dominum non imbecillitate naturæ mortuum esse: sed quod mortem ad cadem, necemque persecutus sit, subdit. *Non enim morte superari potuit, sed potius aculeum suum amisit: & infra indicans locum Isaia, in deglutitione mors fuit, postquam inualuerat.**

Dices. Quamuis his testimoniis rectè probetur, Christum post mortem suam aliquando resurrexurum, non tamen probari iam resurrexisse. Respondetur primum in multis ex prædictis locis satis doceri Christi resurrectionem futuram fuisse paulo post mortem eius, ante prædicationem Evangelij, & conuersionem gentium, ut patet tum illis verbis Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno;* Psal. 32. *Non es da-*

Psal. 88.

Hieron.

1. Corint. 15.

D. Thom.

Mors in morte Christi absorpta quomodo.

Osee 13.

Euseb.

Cyrill.

Athanas.

Obiectio.

Responsio.

Psal. 32.

hæc da-

Psal. 1. nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Item ex alio Psalmo. Ego hodie genui te. Postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre. Vbi clare significatur, Ecclesie propagationem futuram post Christi resurrectionem. Quod etiam significatum est Michæ 7. vbi in sensu allegorico Christus ad mortem, vel ad synagoram loquitur. Non lateris inimica mea super me: quia cecidi, consergam. Et infra. Et aspicias inimica mea, & operietur confusione, & tamen paulo post subditur, Dies, vi adfuerint maceria tua. In die illa longe fiet lex, & c. id est, ab illo die, quo ego consergam, reedificabitur Ecclesia, & maceria eius, quæ antea fuerat diruta, & cessabit lex vetus, &c. Et idem insinuat in prior loco Isaia. Nam statim post illa verba, Misericordias Domini fideles, subditur. Ecce testem populus dedit, ducem & præceptorem gentibus. Rursus in illo loco Osee 13. O mors, ero mors tua, statim subditur. Mors tua tuus ero in inferno, ut significetur, vtrumque simul fuisse futurum, scilicet, & mortem destruere per resurrectionem, & infernum mordere educendo Sanctorum animas. Nam licet verum sit, perfectam mortis victoriam non consummari quo ad effectum, vsque ad generalem resurrectionem (ut Paulus dixit 1. ad Cor. 15.) tamen in Christi resurrectione demonstrata, & inchoata est, & in virtute quodammodo consummata quatenus omnes in Christo resurreximus ut idem Paulus ait, ad Eph. 2.

Et ad eundem modum explicandus est alter locus Isaia supra expositus: quibus adiungi potest testimonium Sophonie 3. Expecta me dicit Dominus, in die resurrectionis meae in futurum. Quia iudicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna, &c. Quo testimonio vtitur Eusebius lib. secundo de Demonstr. c. decimo septimo, & Augustinus decimo octauo de Ciuitat. cap. trigesimo tertio: & ex eo probat Christum resurrexisse, & postea gentes ad se vocasse. Est etiam optimus locus Iob cap. 19. Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Vbi (ut recte exponit Grego lib. 14. c. 26.) Iob fide resurrectionis Christi sperabat Iob suam resurrectionem: tamen (ut ex verbis eius constat) suam sperabat in nouissimo die, Christi autem resurrectionem longè antea factum iri credebatur. Denique præter hæc sunt alia testimonia in Prophetis, in quibus proprius etiam dies resurrectionis Christi indicatur, ut Osee 6. & Ionæ 2. de quibus in sequenti disputatione commodius dicemus.

Vltimo afferri possent testimonia noui testamenti. Sed hæc in superioribus tacta sunt, & tam sunt frequentia, ac euidentia, ut superuacaneum sit in eis enarrandis immorari. Solum desiderari hoc loco posset expositio illius testimonij Acto. 1. vbi dicitur Christus ad comprobendam suam resurrectionem præbuisse seu ostendisse se discipulis suis in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis. Oportet enim exponere quæ fuerint hæc argumenta, quibus Christus probauit se post mortem iterum viuere, & quam fuerint valida, & efficacia. Sed quia Diuus Thomas questione 55. artic. quinto, & sexto, hoc explicat ideo, si quid addendum occurrerit, in commentarijs illorum articulorum dicetur. Rationes autem, ob quas Christus ante generalem resurrectionem voluit resurgere, tractatæ sunt in commentario primi articuli, & plura dicemus Sectione sequenti. Statim verò occurrebat hæc questio, an Christus fuerit primus resurgens: eam vero tractat D. Thomas artic. 3. in cuius commentario illam explanabimus.

Ex hac fidei veritate sequitur primo, Christum dominum resurrexisse in vero corpore humano, id est verè conitante ex hac materia rerum generalium, & corruptibilem, disposita, & organizata eo modo, quo forma, ac natura humana requirit. Et hoc voluit Christus probare, ac persuadere discipu-

lis quando eis dixit, *Palpate, & videte, quia spiritus* Luc. 24. *carnem, & ossa non habet sicut me videtis habere.* Nam Leo Pap. ser. 1. de resurr. notauit, ut resurrectionis veritas multis documentis manifesta fieret, apparere voluit Christus discipulis, non solum loquens cum eis, sed habitans, atq. conuescens, & pertractari se diligenter, curiososq. contactu ab eis, quos dubitatio perfringerat, admissens. Quod latius exposuit D. Thomas infra q. 55. art. 15. & 6.

Secundo sequitur resurrexisse Christum in eodem numero corpore, quod mortuum in cruce reliquit. Ratio huius, & superioris confectarij est: quia hæc sunt necessaria ad veram resurrectionem (ut supra ostensum est) at Christus vere resurrexit. Solum est obseruandum, cum in tempore vitæ Christi domini magna multitudo materiarum successiue fuerit per continuam nutritionem acquisita, & adiuncta corpori Christi, heri potuisse salua veritate resurrectionis, ut ex quacumq. parte illius materiarum sufficeret conficeretur corpus, in quo Christus esset resurrecturus, ut ex supra dictis de resurrectione in communi constare potest: tamen ad perfectiorem vnitate modum pertinuit, ut idem corpus constans ex eadem omnino materia, ex qua tempore mortis constabat, resurgeret. Tum quia hoc modo perfectissimè, & omni ratione resurrexit idem omnino quod ceciderat. Tum etiam quia hoc erat necessarium ad veritatem resurrectionis demonstrandam. Nam si Christus assumpsisset corpus ex alia materia compactum, etiam si esset illa, quæ ex eodè corpore Christi discursu vitæ resoluta fuerat, difficilius crederetur verè resurrexisse. Eratq. hoc quodammodo debitum illi sanctissimo corpori, ut licet fuerat participes crucis, & ignominie, ita etiam esset confors gloriæ & æternæ vitæ. Propter quod de illo prædictum erat, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ex quo loco, & ex tota historia Evangelica certum omnino est, idem numero corpus, quod in cruce pepedit, ex eademq. materia constans, resurrexisse. Et hæc identitatem demonstrare voluit Christus, cum dixit Thomæ, *Infer digrum tuum huc, &c.* Quem locum tractans Leo Pap. ser. 1. de Resurr. inquit. Ideo clausis ad discipulos ostijs introibat, & statim suo dabat spiritum sanctum, & dato intelligentie lumine sanctarum scripturarum occulta pandebat, & rursus idem vultus lateris, si xuras clauorum, & omnia recentissima passionis signa monstrabat, ut agnosceretur in eo proprietates diuinae, humanæq. nature indidua permanere. De qua re dicemus plura infra q. 54. art. 4. Cum autem dicimus constare corpus illud ex eadem materia, quæ in eo inuenta est tempore mortis, non excludimus, quin aliquid materiarum illi corpori addi potuerit, si fortasse necessaria fuit. Hoc enim identitati corporis non repugnat, & ad perfectam eius integritatem potuit esse necessarium. De qua re dicturi sumus q. 54. art. 2.

Contra hanc veritatem fidei, nihil est, quod obijci possit, præter ea, quæ obijciuntur aduersus resurrectionem in genere, eiusq. possibilitatem, quæ in superioribus tacta sunt, & infra disputado de generali hominum resurrectione (si quid residuum fuerit) addetur. Locus autem ille 2. ad Cor. 5. *Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus, tractatus est à nobis superiori tom. disp. 13. Sect. 3. vbi diximus nomine carnis intelligi carnem passibilem, in qua aliquando fuit cognitus Christus: nunc autem, licet eandem carnem habere credatur, non tamen passibilem.* Quæ expositio nem præterea, quia ibi adduxi, his verbis confirmat Leo Pap. ser. 1. de resurr. *Non dissonat, dilectissimi, ab hac fide magister gentium Apostolus Paulus, cum dicit: Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Resurrectio enim Domini non finis carnis: sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est, quæ litas transit, non natura defecit. Et merito dicitur caro Christi in eo statu, in quo fuerat nota, nesciri. Quia nihil in ea passibile, nihil reman-* fin

fit in ea infirmum, & ipſa ſit per eſſentiam, & non ſit ipſa per gloriam.

SECTIO II.

Quæ fuerint cauſa reſurrectionis Chriſti.

In hac quæſtione breuiter diſcurrendum eſt per omnia cauſarum genera, in quibus aliquid explicandum occurrerit. Nam de materiali, & formali nihil eſt quod dicamus, cum iam poſitum ſit, idē corpus, & maiori ratione eandem animam ad hanc reſurrectionem conueniſſe: dicendum ergo eſt de cauſa finali, & efficiēte, vel morali, ut eſt meritoria vel phyſica principali, & inſtrumentali, ſeu miniſteriali.

Primo igitur ad explicandam finalem cauſam adduci poſſunt rationes omnes, propter quas D. Thomas ſupra probauit, factam eſſe Chriſti reſurrectionem. Nam omnes illæ, atque in vniuerſum utilitates omnes, quas dicunt ſancti proueniſſe nobis ex reſurrectione, finalem cauſam continent reſurrectionis Chriſti, & omnes continentur ſub illo verbo quo dicitur Chriſtus propter nos homines reſurrexiſſe, ſicut & mortuus eſſe. Et huc ſpectat illud Pauli ad Rom. 4. Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, & illud Gregorij Nazianzen. orat. 1. Reſurrectio propter reſurrectionem, id eſt, reſurrectio Chriſti propter noſtram reſurrectionem. Sed vltra hoc addendum eſt, licet Chriſtus propter nos reſurrexerit: primo tamen, ac per ſe propter ſe, ſuamque gloriam reſurrexiſſe. Itaque ſicut in priori tomo dicebamus, verbum propter redemptionem noſtram carnem aſſumpſiſſe, & nihilominus primo, ac per ſe voluiſſe incarnari propter excellentiam tanti myſterij, & ut ſeſe perfectiſſimo modo creaturis communicaret: ad eundem modum nunc dicimus Chriſti reſurrectionem ita fuiſſe à Deo ad noſtrum commodum ordinatam ut tamen per ſe fuerit intenta propter ipſius Chriſti gloriam, & exaltationem. Primo quidem, quia erat debita Chriſto domino, propter maiestatem Verbi in illo corpore inhabitantis, propter quod dixit Petrus Act. 2. Impoſſibile fuiſſe Chriſtum teneri ab inferno, ſeu à morte, ita exponens illud Pſalmi, Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Non enim decebat, admirabilem ſanctificationem illius corporis per coniunctionem ineffabilem ad ipſam ſanctitatem per eſſentiam, ut vita, & coniunctione ad ſuam animam diu orbaretur. Vnde Ambroſ. libro de Incarnat. Verbi Dei, & corporali eius aduentu, dicit. Eum qui Dominici corporis reſurrectionem non credit, non ſatis intelligere vires Verbi, Sapientię Dei. Nam ſi verum eſt eum corpus aſſumpſiſſe, eaq; quæ corporis propria ſunt, vindicaſſe, quid de corpore, quo ſe, ſtatueret debuit, aut quo ſine tandem illud conſumere, cum ſemel in corpore viſcera receptus eſſet? Ut enim non moreretur, fieri non poterat, quia pro omnibus erat in mortem offerendum: ut autem extinctum maneret, neg. id fieri debuit, eo quod vita ſacrarium eſſet. Vnde reuincit per ſuam, quæ in ipſo erat, vitam. Similiare petit inferius, ubi inter alia inquit. Quomodo Dominus ex toto vitam ſeſe demonſtraſſet, niſi id, quod mortale erat viuificaret? Et ſer. 2. contra Arianos, in hunc modum exponit illud ad Philip. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum. Refert enim particulam illam propter quod ad præcedentia verba. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratuſ eſt, &c. Nam cum dixiſſet (inquit) humiliavit ſemetiipſum vſque ad mortem, ſtatim ſubintulit, Propter quod & Deus exaltauit illum; cupiens oſtendere, quod & ſi ſicut homo mortuus fuerit; attamen ut vita exaltauit ſe reſurrectione; & infra, Cur hic ſolus ex mortuis integer reſurrexerit, cauſa ea eſt, quam vultus priori loco ſtatuit: quod cum Deus eſſet, homo factus ſit, qui de celo, & celeſtis appellatur, eo quod Verbi de celo deſcenderit; ideoque, ſub imperio mortis deſcendi non poſuit. Nā et ſi humiliavit ſeipſum finis ſuum corpus vſq; ad mortem procedere: nihil eſt.

Fr. Suarez, tom. 2.

A minus tamen illud eſt terris exaltauit, propterea quod in illo erat ſilius Dei.

Secundo hoc explicatur, quia ratione hypoſtaticæ vniōis, & ex gloria animæ, debita erat corpori Chriſti vita perpetua, ac glorioſa: quod autem aliquando fuerit mortale, factum eſt ex diſpenſatione propter noſtram ſalutem: ergo conſummata noſtra ſalute per Chriſti mortem, eiſdem rationibus debetur illi corpori vita glorioſa per ſe, ac propter ſe, etiam ſi nobis nō eſſet utilis, ac neceſſaria eius reſurrectio. Vnde merito dixit Atha. diſto libr. de Incarn. Verbi, reſurrexiſſe Chriſtum, ut oſtenderet non ex imbecillitate mortuum eſſe: ſed ad extinguendā mortem, quæ proſtigata, quid reliquum erat, niſi vi in trophæum deuictæ mortis excitaretur? Quocirca ſi hæc intrinſeca cauſa reſurrectionis Chriſti perpendatur, excitatus fuiſſet Chriſtus ſtatim, ac redemptionem noſtrā per mortē conſummavit. Et ideo (ut infra videbimus) docēt Patres dilationē reſurrectionis omnino fuiſſe propter nos, ut de veritate mortis euidentius conſtaret hac vero cauſa & neceſſitate finita ſtatim (ut ita dicā) ab intrinſeco rediſſe ad vitam multo magis, quam reducatur aqua ad priſtinam frigiditatem impedimento ablato. Quomodo dixit Atha. epiſt. ad Epiſt. Corpus mortalis naturæ per Verbum, quod in ipſo erat ſupra naturam reſurrexit. Sicut ergo aqua ablatis impedimentis naturæ ſua ſit frigida, primo quidem propter ipſam quia hæc eſt naturalis diſpoſitio, quæ eius forma requirit: deinde ut res alias frigeſcere poſſit. ita Chriſti corpus ablata mortis neceſſitate, quaſi ab intrinſeco ad vitam reuocatum eſt, & gloriam ſibi conaturalem accipit. Primo quidem propter ſe, quia hic ſtatus erat illi debitus ratione vniōis, & ſecundum ordinem diuinæ prædeſtinationis per ſe primo intentus: deinde verò propter noſtram utilitatem, ut ſupra explicatum eſt. Vnde etiam egregie addit Petrus Chryſol. ſer. 78 & 81. reſurrexiſſe Chriſtum propter creaturarum omnium, ſeu totius vniuerſi exaltationē ad nouā pacem, & tranquillitatē. Orbem (inquit) totum priſtinum reformat in corpus, ut quem ſibi taliter viderat eſſe compaſſum, ſuam ſecum ſuſcitaret ad gloriam. Atque hæc de finali cauſa.

Secundo de cauſa meritoria certum eſt Chriſtum dominum fuiſſe cauſam meritoria ſuæ reſurrectionis, ut docet D. Thom. ar. 4. ad 2. & latius diximus in priori tom. diſ. 40. Sect. 3. Hic verò inquiri poterat, quando hoc meruerit. Quidam enim auſi ſunt dicere: Chriſtum hoc meruiſſe poſt mortem per deſcenſum animæ ad inferos. Nā qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit, & deſcēſu exaltationem meruit. Neque enim illud opus fuit minoris charitatis, & humilitatis, quā cætera, quæ in vita geſiit. Sed hæc ſententia conſecta eſt ſine fundamento. Oſtendimus enim in priori to. diſ. 30. Sect. 3. tempus merendi in Chriſto domino, ſicut & in alijs omnibus hominibus, fuiſſe finitū in morte. Tum etiam quia ſcriptura morti, & paſſioni Chriſti tribuit meritum reſurrectionis. Quia licet per totam vitam illa meruerit: tamen in morte hoc meritū conſummavit. Vnde Paul. ad Phil. 2. cum dixiſſet, Factus obediens vſq; ad mortem, ſubdidit, Propter quod, &c. non ergo poſt mortem, ſed vſque ad mortem hoc meruit. Quapropter Aug. tract. 204. in Ioan. Humilitas paſſionis, meritum (inquit) eſt reſurrectionis. Oportebat quippe, ut ipſum corpus eſſet organum, ac inſtrumentum meriti ſuæ reſurrectionis, & exaltationis. Alia de hac re adduximus prædicto loco, & ſupra in commen. ar. 1. Quædam vero difficultas hic occurrebat de vniōne hypoſtatica totius humanitatis, quæ diſſoluta humanitate, in morte fuit amiſſa, & conſequenter in reſurrectione reparata, propter quod videtur dixiſſe Petrus Chryſolog. ſer. 80. Reſurgens à mortuis Chriſtus reſumpſit hominem, non reliquit, de hac, inquam, vniōne occurrebat difficultas, an habuerit etiam cauſam meritoriam. Sed eam ſufficienter attigimus priori to. diſ. 10. Sect. 4.

Sf 2

Terz

Reſurrectio Chriſti ratione vniōis hypoſtaticæ quomodo debita. Athanaſ.

Athanaſ.

Petr. Chryſ.

Chriſtus reſurrectionem ſuam quando meruit. Ephes. 4.

Philip. 2.

Auguſt.

Finis reſurrectionis Chriſti qui.

Rom. 4. Gregor. Nazianzen.

A. A. 2. Pſalm 131. Reſurrectio Chriſti gloria & exaltationem ordinata.

Ambro.

Philip. 2.

Propria vir-
tute à mor-
tuis Christus
resurgit.
Act. 2.
Roma. 8.
1. Cor. 16.

Ioan. 10.

Leo Papa.

Athanas.

Anima Chri-
sti ut instru-
mentum Ver-
bi iuxta cor-
pus effectiue
disponit, &
organizatur
ad sui resur-
rectionem.

Henric.
Vnio substā-
tialis inter
corpus & ani-
mā Christi
in resurre-
ctione instru-
mentali
effecta.

Tertio: de causa efficiente principali satis constat ex supradictis, solum Deum potuisse esse causam resurrectionis Christi. Nam quoad hoc eadem est ratio de Christo, & de aliorum hominum resurrectione. Vnde Act. 2. dicitur. *Quem Deus suscitauit à mortuis, & ad Rom. 8. Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis uiuificabit & mortalia corpora vestra.* Quia vero Christus ipse Deus est, verè etiam dicitur, eundem Christum fuisse causam principalem suæ resurrectionis, non ut hominem, sed ut Deum. *Quia, si & crucifixus est ex infirmitate, uiuit ex virtute Dei.* 1. ad Cor. vlti. Et hoc modo intelligendum est, cum dicitur propria virtute resurrexisse, iuxta illud Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam, ut iterum sumam eam.* Et eodem modo dixit Leo Papa ser. 1. de resur. *Deitas, quæ ab vitæ substantia non recessit, quod potestate coniunxit.* Sic deniq; dixit Athan. loco citato, *corpus Christi surrexit per verbum, quod in ipso erat.* neq; hic occurrit noua difficultas, supposito, quod supra ostensum est, diuinitatem non fuisse separatam à corpore & anima tempore mortis.

Quarto: de causa instrumentali physica solum inquiri potest, de ipsiusmet partibus humanitatis Christi, an effectiue concurrerint ad resurrectionem. Nam de omni alia creatura certum est non concurrisse, ut à fortiori cõstabit ex ijs, quæ dicemus in ultimo pũcto. De humanitate vero Christi, quæ est quædam integra natura, certum est non potuisse efficere resurrectionem, quia non supponebatur resurrectioni, sed ex illa potius cõsurgere. De anima igitur & corpore dicendum est. Et in primis distinguere oportet duplicem actionem in resurrectione interuenientem. Prior est corporis organizatio, & dispositio: posterior substantialis cõiunctio animæ ad corpus. De priori probabilius videtur, animam, Christi, ut instrumentum Verbi effectiue disposuisse corpus suum, illudq; aptasse, ut ei vniretur. Quia ex vnione ad Verbum habebat illa anima potestatem permanentem, & per modum habitus ad efficiendam huiusmodi miracula, ut in priorio. lare tractatũ est. Ergo credendum est usum fuisse hac potestate in ordine ad suam resurrectionem, ut veluti condignum primum redderet suo corpori tanquã socio suarum passionũ, & instrumento meritum, deinde quia Christus suo imperio disponebat alia hominũ corpora, quæ excitauit à mortuis, & in fine mundi concurret hoc modo ad efficiendam nostrã resurrectionem. Ergo multo magis credendum est effectiue suã. An verò corpus etiã Christi, ut instrumentum Verbi habuerit cõcursum physicũ ad huiusmodi actionem, incertum est. Non enim fuit impossibile illud corpus seipsum effectiue disponere, & organizare, vel per vnã partem efficiendo in aliã, vel per eandem partes efficiendo in seipsas. Quia cum nõ agant virtute naturali, sed obedientiali, non supponuntur habere formã, quã efficiunt, nec formaliter, nec eminenter: & idè non repugnat, hoc modo fecisse in se formã, & dispositionem quam actu nõ habebant. At vero licet hoc sit possibile, nõ videtur tamẽ necessarium. Quia, cum corpus sit proprium subiectũ huius actionis, & causa materialis eius, & aliunde anima potuerit esse sufficiens principium efficiens illius actionis in genere instrumenti: non videtur necessarium tribuere efficientiã corpori: imo conuenientior ratio causandi videtur, ut vniciq; propria causalitas fuerit attributa actui, & potentie accommodata.

De posteriori actione, scilicet vnione substantiali corporis & animæ iuxta diuersas sententias diuersimode sentiendũ est. Nam si cũ Henrico, & alijs sentiamus factã corporis organizationem, nõ requiri nouã actionem extrinseci agentis, ut anima corpori vniamur, cõsequenter dicendũ est, nõ fuisse necessariã nouã instrumentariã actionem corporis, aut animæ Christi, ut inter se vniretur: sed factã miraculose organizationem corporis, applicatãq; illi anima secundũ realem presentiam, quæ per mutationem localem

fieri potuit, statim naturali quadam vnitate fuisse. Quæ opinio probabilis est, ut supra diximus. Si autẽ cum communi sententia asseramus, præter corporis organizationem requiri, ut Deus speciali efficienciã, & actione vniam animam corpori, dici consequenter ac probabiliter potest, tam corpus, quam animam fuisse instrumentũ ad huiusmodi actionem efficiendam. Quo sensu potest intelligi, quod D. Th. infra dicit artic. 4. ad 3. corpus scilicet, & animam se mutuo resumpsisse virtute diuina. Nam licet ipse non satis explicet, an loquatur de actione instrumentali animæ, & corporis, vel de principali actione diuinitatis vnite animæ, & corpori: tamen de vtraque potest cõmodè intelligi. Præsertim cum ipse sentiat, requiri ad hanc vnionem specialem actionem, & efficientiã. Nam hoc posito nulla est ratio, ob quam negemus hanc instrumentalem effectiõnem, cum ratione vnionis debita sit: cumque aliæ rationes in superiori membro factæ, hic etiam locum habeant. Quod vero huiusmodi effectiõnem tribuamus non solum animæ, sed etiam corpori, est hic specialis ratio. Quia vnio mutua est corporis & animæ, & tam in anima quam in corpore dicit specialem quẽdam modum, ergo fuit inter has partes mutua efficienciã, quæ altera veluti ad se traxit, sibiq; coniunxit alterã, & e contra. Neq; circa hoc est vlla specialis difficultas, præter eas, quæ alibi dictæ sunt de hac potentia miraculorũ effectrice.

Quinto, de causa ministeriali inquiri hic potest. Verum Angeli aliquod ministerium exhibuerint ad præparandam materiam resurrectioni Christi. Quam dubitationem tractant Theologi in 4. disputat. 43. & 44. generatim de omnium resurrectione: in speciali verò de resurrectione Christi nullum verbum attingunt. In generali tamen definiunt ex doctrina Augustini. 3. de Trinitat. cap. 4. in communi resurrectione Angelos aliquid esse ministraturos, colligendo cineses dispersos, & congregando illos in locum resurrectioni accommodatum. Ex hac autem generali doctrina videtur idem esse docendum de Christi resurrectione. Primo, quia est eadem necessitas. Nam etiam aliqua partes materiæ reassumendæ in corpore Christi erant dispersæ, oportebatque, ut in sepulchro congregarentur, scilicet sanguis effusus, capilli capitis, aut barbæ, & si fortasse aliqua carnis, & cutis particula flagellis, aut alijs cruciatibus diuullæ fuerant, & si quæ aliæ partes materiæ ante separatæ, vel resolutæ à corpore Christi iterum erant reassumendæ, deinde est eadem ratio. Nam Deus administrat inferiora per media, iuxta Augustinum 3. de Trinitat. cap. 4. Vnde quod fieri commodè potest per ministros Angelos, non oportet fieri à Deo immediate, & per seipsum. Hæc autem actio, cum per solum localem motum fiat, aptissimè fieri potuit per Angelos. Præterea nostra resurrectio est ad imitationem resurrectionis Christi, ergo sicut in nostra interuenit hoc ministerium Angelorum, ita verisimile est fuisse exhibitum in resurrectione Christi nihil enim derogat perfectioni, & excellentiæ illius resurrectionis. Nam si hominũ ministerio factũ est, ut corpus Christi deponeretur de cruce, & collocaretur in sepulchro: cur non fuit etiam decentissimũ, ut sanguis, capilli, ac reliqua ministerio Angelorum in eodem sepulchro reponeretur? Etenim si homines potuissent, omnia illa colligerent, & custodirent: quod ergo ij vel facere non potuerunt, vel nõ cogitarunt, conuenienter per Angelos effectũ fuit. Sicut etiam in partu Virginis pĩe sentiũt Caietanus & alij, ministerio Angelorum puerum fuisse susceptum, & in manibus Virginis repositũ. Quin etiã addit Caietanus fuisse ab Angelis mundatum, & secundinas, & alias sordes eorundem ministerio fuisse separatas, alioque traductas, ergo maiori ratione dici potest, ante resurrectionem adhibuisse hoc ministerium. Et iuxta hanc sententiam loquuntur aliqui

Dubium.

August.

August.

Caietan.

aliqui in concionibus de Christi resurrectione, & A nihil in ea est periculi, vel absurdi, vt coniecturæ ad- ductæ ostendunt.

Dicendum tamen est in mysterio resurrectionis Christi nullam, operam nullamque efficaciam An- gelos adhibuisse: sed totum negotium resurrectio- nis peractum esse per efficientiam ipsius Christi, præsertim mediante anima. Hoc potest in primis probari auctoritate negativa omnium veterum Pa- trum, ac Scholasticorum. Omnes enim asserunt Christum virtute propria operatū esse resurrectio- nem suam, & nullus eorum mentionem fecit angeli ministerij: si autem illud agnouissent, non omni- no illud tacuissent, sicut fecerunt, de resurrectione aliorum hominum disputantes. Deinde potest sumi argumentum à simili ex D. Th. in 4. dist. 8. q. 2. a. 3. ad 3. ubi agens de Christi conceptione dicit, non fuisse conueniens, vt illi creatura aliqua cooperetur pro- pter dignitatem Christi seruandam. Quod clarius explicuit Alex. Alenf. 4. p. q. 134. memb. 1. ar. 2. in solu- tionibus argumentorum, qui expresse loquuntur de hac ministeriali cooperatione, & querit, an potue- rit virtus creata cooperari hoc modo in concep- tione Christi, & respondet potuisse. Sicut virtus (inquit)

D. Thom.

Alenf.

Ministerij angelorum in Christi resurrectione perferenda nullum.

angelica cooperabitur resurrectioni corporum in generali resurrectione: non tamen decessit propter nimiam sublimita- tem carnis, quia illa caro viuenda fuit diuinitati. Vnde quod non sit ibi cooperata virtus creata magis congruitatis fuit, quam necessitatis. Hæc vero congruitas eadem, vel maior est in resurrectione. Nam eadem est sublimi- tas illius carnis quæ non iam viuenda sed vnica erat diuinitati. Tertio est optima congruentia, quia vbi est sufficiens, decens, ac proportionatum principi- um proximum alicuius actionis, superfluum esset adhibere extrinsecū ministeriū angelorum: sed ita est in presenti. Nam animæ Christi Domini erat suf- ficiens principium sicut ad disponendum corpus, ita etiā & ad colligendas partes, quæ dispersæ erant & addendum, si quid materia fortasse deerat. Quia virtus instrumentalis illius animæ has omnes acti- ones, ac multo plures complectebatur. Rursus erat illa anima maximè decens, & proportionatū actio- nis huiusce principium: tum quia habebat curam il- lius corporis tanquam proprii: tum etiam quia erat velut diuinus motor, sicut corpus illud erat diui- num quoddam mobile propter vnionem ad Ver- bum. Quarto est alia coniectura, quia sanguis, capilli, & si quid aliud colligendum fuit ad Christi resur- rectionem id totum debuit collocari intra sepulch- rum, & coniungi corpori, quoad fieri potuit, vel ex- pediens fuit: hoc autem fieri non potuit virtute an- gelica, nisi vel remouendo lapidem ab ostio sepul- chri, vel aliqua ex parte illud diuidendo: neutrum autem horum est asserendum. Vsq̃ue ad resurrectio- nem enim Christi omnino clausum permanfit sepulchrum, vt infra videbimus: non potuerunt ergo illa omnia intra sepulchrum reponi nisi transeunda ab extremo ad extremum sine medio: vel penetrando corpora intermedia, neutrum autem horum fieri potuit naturali virtute angelorum, ergo hoc mi- nisterium non erat ex his, quæ ad angelos pertinent iuxta ordinariū cursum prouidentie diuinæ. Di- cere autem eis datam esse supernaturalem vim in- strumentalem ad efficiendā illam mutationem su- pernaturali ac miraculoso modo gratis & sine fun- damento fingeretur. Quia nec illa virtus est debita angelis, nec pertinet ad ordinariū prouidentie modum, & alioqui non esse necessaria, quia animæ Christi est connaturalis hæc virtus ratione vnio- nis. Denique maximè decebat, vt solus Christus suæ esset resurrectionis autor, ne alterius ope ad suum corpus excitandum indiguisse videretur. Con- iecturæ vero in contrariū faciles sunt & ex ijs, quæ diximus ex- pedire.

Fr. Suarez. tom. 2.

ARTICVLVS II.

Virum fuerit conueniens Christum tertia die re- surgere.



D secundum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conueniens Christum tertia die resur- gere. Membra enim debent capiti conformari. Sed nos qui sumus membra Christi non resur- ginus à morte tertia die, sed nostra resurrectio differtur vsque ad finem mundi. Ergo videtur, quod Chri- stus, quia est caput nostrum, non debuerit tertia die resurgere: sed debuisset eius resurrectio differri vsque ad finem mundi.

2. Præterea. Actorum. 2. dicit Petrus, quod impossibile e- rat Christum detineri ab inferno & morte. Sed quamdiu aliquis est mortuus, detinetur à morte. Ergo videtur, quod Christi resurrectio non debuerit differri vsque ad tertiā diem, sed statim eadem die resurgere præcipue cum glossa supra in- ducta dicat, nullam esse vtilitatem in effusione sanguinis Christi, si non statim resurgeret.

3. Præterea, Dies incipere videtur ab ortu solis, qui sua presentia diem causat. Sed ante ortum solis Christus resur- rexit: dicitur enim Ioan. 20. Quod vna Sabbathi Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent ad monu- mentum, & tamen Christus iam resurrexerat, quia sequi- tur. Et vidit lapidem sublatum à monumento. Non ergo resurrexit Christus tertia die.

Sed contra est, quod dicitur Mat. 20. Tradent eum Gen- tibus ab illudendum, & flagellandum, & crucifigendum & tertia die resurget.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) resurrectio Christi necessaria fuit ad instructionem fidei nostra. Est autem fides nostra, & de diuinitate, & humanitate Christi: non enim sufficit alterum sine altero credere, vt ex predictis patet. Et ideo ad hoc, quod confirmaretur fides de veritate diuinitatis ipsius, oportuit, quod cito resurgeret, & eius resurrectio non differretur vsque ad finem mundi. Ad hoc autem quod confirmaretur fides de veritate humanitatis & mortis eius, oportuit moram esse inter mortem, & resur- rectionem, si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset quod eius mors vera non fuerit, & per consequens nec resurrectio vera. Ad Veritatem autem mortis Christi maxi- f. standam sufficiebat, quod vsque ad tertiā diem eius re- surrectio differretur: quia non contingit, quin infra hoc tem- pus, in homine, qui mortuus videtur, cum viuat, appareant aliqua indicia vitæ. Per hoc etiam quod tertia die resurrexit commendatur perfectio ternarij: qui est numerus omnium rei, vtpote habens principium, medium & finem: vt dicitur in primo de Cælo. Ostenditur etiam secundum mysterium quod Christus vna sua morte corporali, quæ fuit lux propter iustitiam duas nostras mortes destruxit, scilicet corporis, & ani- mæ: quæ sunt tenebræ propter peccatum. Et ideo die in- tegrali, & duabus noctibus permanfit in morte, vt Augustinus dicit in quarto de Trinitate. Per hoc etiam significatur, quod per resurrectionem Christi, tertium tempus incipiebat, nam primum fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gra- tia. Incepit etiam in Christi resurrectione tertius status San- ctorum. Nam primus fuit sub figuris legis: secundus sub veri- tate fidei: tertius erit in æternitate gloriæ, quam Christus in- choauit resurgendo.

Ad primum ergo dicendum, quod caput & membra conformantur in natura, sed non in virtute. Excellentior est enim virtus capitis, quam membrorum. Et ideo ad de- monstrandam excellentiam virtutis Christi, conueniens fuit

295.
Sup. q. 1. a. 4.
Et 3. dist. 21. q.
2. a. 2. B. 9. a.
2. q. 2. a. 2. q.
2. a. 1. Et op.
3. c. 243. Et
op. 60. c. 20.
circ. f. Et 2.
15. col. 6. Et
Ioan. 2. l. c. 34.

Ar. pr. in cor.

artic. preced.

2. 2. q. 2. arti.

7. 8.

1. re. 2. 2.

li. 4. c. 5. to. 3.